

A 23

Ego Sum

Sum possesor huius libri Jacobus
[illegible]

[illegible]

Tacit. XI. Annal.

Nec tibi, quod est rarissimum, aut facilitas authoritatem, aut severitas amorem deminuat

Medio tutissimus ibis

Antiquâ Nobilitatis splendore, summâ virtutis laude insignis atque eruditiōis excellentiâ Nobili viro juveni dn̄o dn̄o Andreae Ortlitzio τῆς φιλαδελφίας ἕνεκα librum & unâ mentem reliqt.

Francofurti cis Viadrum

Georgius à [illegible]

DE ARTE PERE-GRINANDI LIBRI II.

VARIIS EXEMPLIS: INprimis vero agri Neapolitani descriptione illustrati.

ITEM:

Lib: II. de regimine iter agentium.

Quibus accesserunt in fine

QVAESTIONES FORCIANAE: HOC EST, DE VARIIS ITALOrum ingeniis: & de muliebris sexus præstantia, Dialogi II.

Singuli accuratè denuò recusi.

Autorum nomina pagina aversa indicabit.

M D XCI.

Nulli fidere tuum

7½ arg.

INDEX.

TYPOGRAPHUS LECTORI S.

HOsce libellos, candide Lector, ſeparatim antehac editos, nunc partim amicorum rogatu, partim rei literariæ juvandæ cauſa, conjungendos, typisq; elegantioribus recudendos exiſtimavi. Nam ejusmodi rebus abundant, quæ lectori ſingularem & voluptatem & utilitatem afferre queant.

Priores enim duo libelli, non ſolum egregia ſcitè commodeq; peregrinandi præcepta, verum etiam incredibilem rerum atque exemplorum copiam & varietatem habent. Maximè verò liber primus ob methodum pulcherrimam, qua conſcriptus eſt, commendatur: quam, ut puto, autor V. Cl. D. Iohan. Thomæ Fraigio ſuo olim præceptori acceptam ferre haud gravabitur.

Alter item liber ex agro Neapolitano tantum ſibi viaticum comparavit, ut ad quemcunq; diverterit, ſymbolum ſuum liberaliter perſolvere poſſe videatur.

Tertius de regimine iter agentium, cum primis lectu digniſsimus maximeq; utilis, illis qui in peregrinationibus corporis ſanitatem atque incolumitatem conſervare cupiunt,

AD LECTOREM.

Quartus porrò materiam à superioribus quidem diversam: nec tamen penitus alienam complectitur: quippe in cuius dialogo priore, faceta atque arguta de Italorum ingeniis: in posteriore, venusta ac perbella de muliebris sexus præstantia disputatio contineatur. Tuum est, amice lector, conatus atque labores nostros publici commodi causa susceptos in meliorem partem interpretari. Bene vale.

COM-

COMMENTARIOLUS

De Arte Apodemica seu vera peregrinandi ratione.

PRaeclarum est, illustrißime atque reverendißime Princeps, illud Isocratis de peregrinatione Praeceptum: Μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους· αἰσχρὸν γὰρ τοὺς μὲν ἐμπόρους τηλικαῦτα πελάγη διαπερᾶν, ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, τοὺς δὲ νεωτέρους μηδὲ τὰς κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν, ἐπὶ τῷ βελτίω καταστῆσαι τὴν ἑαυτῶν διάνοιαν. *Id est, Non pigeat quantumvis magnum iter suscipere ad eos, qui profitentur se aliquid utile docere. Turpè enim esset Mercatores tanta maria transire pauxilli lucri gratia: adolescentes verò non terrestre iter ingredi velle, ut mentem suam ornatiorem, politioremq́ue reddérent.*

Exordiũ à commendatione ex Isocratis Parænesi

Quomodo vera prudentia comparetur.

derent. Equidem verò (ut ingenuè fatear) semper in ea fui sententia, existimans nimirùm veram eruditionis & prudentiæ laudem non ex libris tantùm, sed ab usu etiã & experientia, tanquàm rerum omnium Magistra, quærendam esse. Non debent igitur ii tantùm sapientes judicari, qui literis instituti scientiæ titulum sibi vendicant: sed multò magis etiam illi, qui omnibus aliis posthabitis, rerum periclitatione edocti, versatiq; in hoc mundo quasi vitæ humanæ Theatro, & diversitatem Regionum, & mores hominum dissidentium, & vitæ exempla, & alia quàm plurima, quæ sese peregrinantibus offerunt, inspexissent. Quid enim turpius? Quid homine studioso, præsertim Nobili, indignius? quàm semper domi sub tecto sedere, & ita in otio omni gloria & laude carente senescere, neq; cogitare aliquando ex hoc tanq̃ nimis opaco et circumscripto domicilio ad rerum maximarũ cognitionem acquirendã evolandũ esse.

Effectus seu utili-

Ad hoc aũt suscipiendum animos liberales, ea, quæ non mediocris est, uti-

litas

litas invitare debet. Ea autem est, quæ Nobiles quidem potißimum exornat: illos verò, qui originem suam à tenuibus principiis duxerunt, non solùm clarißimis qubúsve viris commendat, sed sæpè etiam illis comparat ἐμπειρία *seu experientia rerum, qua homines præditi, tanquàm Hesperus, inter reliquos prælucere solent. Cum enim aliquid vel audimus, vel legimus de Provinciarum amœnitate & fertilitate: de benè alicujus Regni constituta Repub. de vera Religione & cultu divino: de hominibus literatis: de recta juventutis educatione & institutione: de benè denique moratis civibus. An non jucundum, & gratum, imò etiam utile est omnibus? At multò jucundius, multoque utilius est, res ipsas, ut sunt, contemplari & inspicere: qua de re eleganter Horatius:* tas peregrinationis.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Mihi quidem sæpè & legenti & audienti de illa inclyta Imperii orbis terrarum, sede urbe Roma, multa quæ dicebantur, aliquando miracula, aliquando

non usq; adeò verisimilia esse putabam. Ad eam autem cùm appropinquarem, & ex Apennini jugis paulò accuratiùs inspicerem, historiasq; in mentem revocarem, prorsus obstupui, volvens nimirùm animo, quam potens quondam fuisset illa totius mundi dominatrix Roma, nunc autẽ in longè dispari fortuna constituta videatur. Quanta hæc sit rerum humanarum vicißitudo, omnibus eruditis & sapientibus viris considerandũ relinquo. Nam unica Roma miseram conditionem rerum mortalium, in quibus nihil perpetuum est, tanquam illustre exemplum nos docere videtur. Vrbis veteris statum fateor certè me summa cum admiratione & stupore conspexisse. Nomen enim urbis oculis repræsentabat potentiam, magnificentiam, pristinamq; fortunam sæpè ex historiis mihi cognitam, eandem autem subitò, tanquàm somnium, ingentium ruinarum imago, quam intuebar, de medio auferebat. Templa, porticus, theatra, fora, aquæ ductus, alia rescissa pendent abruptis molibus, alia collapsa collibus

Roma exemplũ fortunæ.

haud

haud dißimilia jacent: quorundam verò vestigia nullibi, nisi in fundamentis apparent. Nihil sanè ex tanta magnitudine integrum: nihil sua forma præditum: nihil quod non deplorandum videatur: sed obruta, vastaq́; omnia jacent, tristeq́; admodum spectaculum intuentibus præbent. Cætera verò, quæ in urbe nova videntur, si ordine recensere vellem, volumine vix compræhendere liceret. Quot enim antiquitates paßim per universam urbem cernuntur: quot templa pulcherrimè & magnificè exstructa: quot Xenodochia: quot pauperum & peregrinorum receptacula: quot principũ Romanorumq́; magnifica palatia: quot amplißimi & amœnißimi horti: quanta populi ex toto terrarum orbe confluentis frequentia: quanta doctorum hominum turba: quæ divitiæ: quanta deniq; tranquillitas & sobrietas civium. Me igitur meæ peregrinationis Romam versus, præsertim Anno Iubilæo, susceptæ pœniteat? Nequaquam. Ea enim, quæ anteà apud me sæpè incerta & tanquam umbra erant, nunc oculo-

Roma nova.

rum fides, spectataq́ veritas certißima reddidit, maximamq́ & voluptatem, & admirationem in me excitavit. Non igitur audiendi sunt, qui Argumento maximorum & immensorum laborum, quos peregrinantes perferre oportet, moti, peregrinationem omninò omittendam esse opinantur. Quid ejusmodi idiotis respondendum putamus? Equidem homines ad laborandum, ut aves ad volandum natos esse existimo. Quid? Nonne Abrahā itinera maxima confecit mandante & jubente Deo? At, inquiunt, filius meus, quem unicum habeo, si occumbat, omne tunc mihi sublatum est in hac vita solatium. Quid? si tibi mors etiam domi, quæ totum terrarum orbem perlustrare solet, eum auferat? Quis tibi eum deinceps restituet? Aut quis erit, qui prosapiam tuam conservabit?

Refutatio laboris & periculorū, quæ peregrinantibus objiciuntur

Homo ad laborem natus

Cogitandum igitur est, mortem generi humano communem, nihilq́ perpetuum esse in hac vita miseriæ & calamitatis plena. Si domi autem filius tuus immortalis existeret, tibi facilè concede-

rem,

rem, imò juberem etiam, eum non modò non peregrè mittendum, ſed ſemper apud te domi retinendum eſſe. Quod verò quoniam non ſit, meliùs & multò laudabilius eſt, te talem habere filium, qui ſimul cum induſtria & eruditione, maximarum rerum cognitionem & experientiam conjunxerit. Id autem peregrinatione ſolùm effici poſſe, quis quæſo peritorum hominum eſt, qui non teſtetur? Placuit igitur hisce hybernis horis atque contractioribus diebus præcepta quædam de peregrinatione, pro ingenii mediocritate perſcribere: idq́ facere volebam tùm ad meam utilitatē, tùm illuſtrium Comitum à Sultz, cum quibus brevi, ſi placuerit Deo præpotenti, repetiturus ſum Italiam, ut nimirum illi non in itinere ſolum, ſed in ipſa Regione etiam hac brevi tractatione, tanquàm typo quodam generali admonerentur iſtarum rerum, quæ peregrinantibus præcipuè obſervandæ & notandæ ſunt.

Scripti occaſio.

Quomodo igitur peregrinantem noſtrum nominabimus? Vocamus eum aliarum

Definitio peregrinantis

aliarum terrarum idoneum perlustratorem & diligentem earum rerum observatorem, quæ scitu sunt & necessariæ & utiles, quiq; suam peregrinationem non temeritate quadam, sed utilitate publica, honestate & gloria motus prudenter instituat, neq; levi caussa se à proposito suo distrahi aut impediri patiatur, sed iis rebus, quarum gratia peregrinatur, subindè sedulò invigilet. Vt

Qui sint apti ad peregrinandum.

igitur Aristoteles idoneum auditorem ad doctrinam Ethicam percipiendam requirit: ita sanè ad peregrinandum admittendi non videntur infantes & senes. Hi enim, quibus corporis labores minuendi sunt, propter ætatis injuriam; illi verò corporis, judicii et intellectus imbecillitatem ad hanc rem suscipiendam omnino ineptos esse, cuilibet perspicuum est, ideoq; multis argumentis comprobari non debet.

Προκατάληψις causam profectionis Iacobi cõtinens

Et quamvis Iacob ut senem in Ægyptũ profectum esse Sacræ literæ testentur, tamẽ profectio ista partim cogente fame, partim etiam ob filium Iosephũ, quem unicè dilexerat, instituta, non rectè aut ꝓpriè (ut opinor) peregrinatio

judi-

judicabitur: siquidem ea in arbitrio & voluntate posita esse videatur. Nā unicuiq; liberum est aut in patria vitam transigere, aut si forsan certis rationibus moveatur, se ad alienos populos conferre, atq; eorum vitam & mores cognoscere, ut si quid utilè videat, idipsum arripiat, & quamprimùm domum reversus fuerit, in Rempublicam, summa & fide, & studio conferat. Arcentur prætereà à peregrinatione talia ingenia, ex quorum profectione nihil aut certè parum utilitatis Reipub. parentibus & amicis expectandum est. Quo argumento Cicero mercaturam, si tenuis sit, neq; magna, copiosa aut multa undiq; apportet, sordidam, minimeq; laudari posse arbitratur. Quid enim prodest pauxilli lucri gratia tam longa instituere itinera, seq; summis vitæ periculis exponere? Quod quidem potiùs temeritatis & stultitiæ, quàm prudentiæ signum esse videtur. At impito pictori alienas terras perlustranti, licet plurimas elegantes picturas videat, illas tamen neq; observet, neq; simile quippiam fingere conetur, atq; tandem

Ab exemplo pictoris.

dem

dem post longam peregrinationem vacuus domum redeat, quas laudes tribuendas putamus? Ita sanè è contra studiosi literarum & bonorum morum caussa peregrinantis maxima laus est, si non Civitates, longinquas Regiones, & alienos populos viderit tantùm, sed eorum noverit etiam & linguam et mores, Religionem, Pietatem, Politiam, Reipub. statum, & ea, ex quibus magna potest haberi utilitas. Hinc commendatur apud Homerum Vlysses:

A contrario.

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Hom. 1. Odyss.

Hîc certè miror quorundam imprudentiam; aut potius vesaniam, qui alienarum Provinciarum vitia et turpitudinem ita diligenter notant, ut domum reversi nihil aliud queant, quàm alios, sæpè etiam falso, traducere. Idq; maximè contingit in conviviis, colloquio, & congressu familiari. Cur quæso peregrinamur, virtutum an vitiorum gratia? Illos profectò summa laude dignos judicarem, si tantam & diligentiam, & industriam

Invehit in studiosos ui[?]

Finis peregrinationis.

dustriam in enumeratione virtutū adhiberent. Verum quidem est, aliquando mentionem de vitiis fieri quoq; debere, ne videlicet ejusmodi, quæ in aliis terris usitata sunt, in nostram suscipiamus Rempub. quia virtuti & honesto repugnent. Quod tamen fieri debet & prudenter, & moderatè. Aliàs adolescentem, sive cum eruditis, sive literarum ignaris versetur, de peregrinatione sua sermonem instituere volentem, diligenter admonitum volo, ut potius virtutes, quarum utilitas perquàm magna est, quàm vitia: potius laudes, quàm vituperia commemoret. Adolescentiam enim verecundia, quæ hujus ætatis est propria, à sermone vitiorum ad virtutes avertet: à vituperio, ad laudandum movere debebit.

Adjuncta peregrinantis

Verecundia

Porrò eos, qui filios suos immaturè, & parum prudenter peregrè mittunt, hîc admonendos esse censeo, ut gravissimam pœnam in ipsos à Deo optimo maximo constitutam considerantes, cautius agant, neq; (si verum fatear) quodammodò caussa existant omniū malorum,

rum, in quæ filii non ſæpè, ſed plerunq; incurrunt. Quibus autem vitiis inquinentur quotidiana docet experientia. Non eſt, ut dicam de illis, qui in Galliis, Italia & alibi, Crapula, Venere et Baccho periêre, cum paßim apud nos in Germania eiusmodi ventris mancipia (ſic enim appellare liceat) quamplurima reperiamus, quæ non modò literis nullam operam navant, ſed etiam (quod deteſtandum eſt) nocte, dieq; nihil aliud cogitant, quàm ut Veneri, ventriq; ſuo, tanquam deo cuidam, inſervire valeant. Iuventuti igitur, quæ ad vitia, quā virtutes pronior, parentes fideles & prudentes tempeſtivè & opportunè conſulant, ſuadeo, ne loco τῆς μεγίστης ἐμπηρείας καὶ παιδείας *varia morborum genera (quod plerunq; contingit) & alia incommoda quam plurima reportent.*

Abuſus peregrinationis.

Illis igitur, qui ad juſtæ ætatis rationem nondum pervenerunt, adjungendi ſunt Præceptores, viri nimirùm probati, qui vitæ ſanctimonia & pietate: morum gravitate: eruditionis ſplendore: & quantum fieri poteſt, rerum ſingularium

Præceptores adoleſcentibus adhibēdos eſſe.

um cognitione, commendentur, ut his tanquàm Ducibus omnia ad utilitatẽ, honorem, gloriam & commendationem spectantia diligenter observent & discant: quæ aliàs ab illis aut propter ignaviam; aut judicii & intellectus immaturitatem; aut sanè magnarum rerum contemptum, & amorem turpium facilè negligerentur. At multi opinantur nobilium filios, quibus natura præ cæteris, singularia quædam dona, ut ingenium, judicium, & urbanitatẽ quandam generosioresq; spiritus tribuat atq; ingeneret, illis, quorum ortus humilis et perquàm tenuis est, commendari non debere. Qui duabus rationibus præcipuè moveri videntur. Primò ut pecuniæ parcant, quàm aliàs in præceptoribus alendis exponere cogerentur: Deinde quia Præceptores officii sui & jurisjurandi præstiti sæpè parùm memores non juventutis ductores, sed seductores; non bonorum morum formatores, sed corruptores existant, viamq; quodammodo in vitia labendi præmonstrent. Ad hoc quod attinet paulò antè monui, quales Pædago-

Πρόληψις continẽs nobilium dona

Præceptores nequam.

gi sint eligendi. Quod verò cum sit constitutum in arbitrio sapientum & prudentum virorum, non dubito, quin se quisque ita geret, ne elatus videatur extra rationem honesti. Alterum verò hominis planè sordidi est, qui mavult aut parvæ cuidam pecuniæ parcere, aut certè sibi, nescio qua motus avaritia, divitiarum cumulum corradere, quàm filium benè et honestè institutum habere. Sed quæso, quæ est jucunditas, quam ex auro, argento & divitiis capimus: siquidem non solùm eas libidine augendi cruciemur, sed semper etiam amittendi metu? Quid juvat filiis ea quidem relinquere, quæ fortunæ ludibria sunt, et sæpè uno momento ab homine auferuntur, eumque in summa vitæ discrimina rapiunt atque inducunt? At quantam delectationem, utilitatem & gloriam parentes ex filiis benè educatis, literis institutis, virtute et rerū cognitione præditis consequantur, non facilè dixero. Filii enim sunt εἰκῶνες τ̃ πατέρων. Taceo quòd hac ratione senectus illorum levetur: morbi leniantur: mors denique ipsa multò

Avari sunt sordidi.

Parentū solatium ex filiis.

multò facilior reddatur. Hoc aũt quoniam omnes ſibi maximè optent, quærendæ ſunt cauſſæ, quib. id, quod volunt, effici queat. Nunquam igitur laudabo eos, qui hac in re ſive parſimonia, ſive quacunq; ratione moti juventutẽ Præceptoribus privandam eſſe aut ſuadent aut arbitrantur. Quid verò de his ſit ſentiendum, qui lubentius, & alacrius pecuniam in canibus venaticis, equis et aliis rebus, ſolùm ad voluptatem ſpectantibus, q̃ præceptoribus alendis erogant, iis reſervatum volo, qui maturioris ſunt judicii & intellectus. Et licet nobilium filii ſint plærunq; præſtantioris, generoſiorisq; naturæ, quàm alii, nihilominùs tamen ſunt regendi & gubernandi, ne opibus ſuis confidentes à via honeſti vel deficiant, vel (quod facillimum eſt) errent. Equus n. alacer & generoſus nulliſq; calcarib. indigens, qua ratione ad metã currendo perveniet, niſi ſit, qui inſideat, frenumq; regendo et tutiorẽ et breviorem viam ingrediendã eſſe oſtendat? Iuvenes ergo pædagogos bonos et eruditos habentes metã propoſitam et facilius attingent,

Impenſis non parcendum in alendis præceptoribus.

Alia πρόληψις qua priori reſpondetur.

Vtilitas ex præceptoribus.

tingēt, & absq; magna difficultate (modo se morigeros præstent, nullisq; laboribus parcant, qui in itinere, vel studiis occurrere solent) utilitatem, commendationem & gloriam, quæ ex peregrinatione & literis nascitur, consequentur.

Διαίρεσις seu peregrinationis divisio.

I. Religio.

Omnis autem peregrinatio, quæ recta ratione suscipitur, aut Religionis, aut studiorum caussa instituitur. Religionis quidem alii Romam: alii ad Divum Iacobum in Hispaniam: multi verò Hierosolymam & ad montem Synai peregrinati sunt.

Braitenbachius de peregrinatione Hierosolymitana.

Peregrinationis Hierosolymitanæ extat liber à Braitenbachio Nobili & Equestris ordinis viro, optimè conscriptus, quem illi legendũ censeo, qui Hierosolymam peregrinari voluerit. Sic multi viri vitæ integritate & eruditione præstantes in novum orbem (qui etiam peregrinationis studio inventus est) peregrinantur: non quidem ut ibi leges addiscant: multas antiquitates videant: aut politiores à Barbaris revertantur: sed ut illos hisce ultimis & maximè deplorandis temporibus, scilicet hora undeci-

deci-

decima in vineam Domini vocatos, Religionem, veram fidem, & quæ Christiano homini scitu necessaria sunt, doceant: quæ & qualis vita sit instituenda ostendant, diligenterq; moneant, unicum esse Deum, eumq; unicè adorandum, colendum, amandum, timendum: divam Virginem, & sanctos juxta Ecclesiæ præcepta venerandos: & tandem ipsi Ecclesiæ, summoq; Pontifici tanquã Vicario Christi obediendum esse. Quot licet hîc quibusdam stomachum moveam, verum tamen est, negariq; non potest, nullos alios, quàm Catholicos ad hanc rem perficiendam à Deo opt. max. hactenus electos fuisse.

Possunt igitur Catholici tanquam novi orbis inventores, ibiq; Christianæ et veræ Religionis plantatores, Legumq; latores, & gloriari & triumphare. Catholici novi orbis inventores

Verumenimverò ut tandem ad rem ipsam deveniam, relicta Religione, & studiis, quæ vel ad militarem disciplinam: vel ædificiorum structuram: vel mercaturæ negotium, & reliquarum mechanicarum artium seriem pertinent, Rejectio aliorum finium.

nent, tantùm ea crassa, ut ajunt Minerva tractabimus, quæ studioso adolescenti literarum gratia peregrinari volenti, tùm in itinere, tùm etiam in ipsis Regionibus, & in Civitatibus maximè observanda & facienda videntur. Cum igitur summus omnium rerum opifex atq; conditor Deus sit omnium bonorū fons longè uberrimus, ex quo omnis sapientia & intelligentia, prudentia, eruditio, veras deniq; res tùm divinas, tùm humanas cognoscendi, perspiciendiq; ratio, ad homines abundanter subindè promanet & derivetur: operæ precium imò necessarium omninò est, omnes actiones nostras ab ipso, sine quo nihil fœliciter præstare possumus, primordia capere debere. Hac quippè ratione instituta humana bonum initium, melius medium, & optimum finem consequuntur.

A Deo profectio suscipienda

Adolescens igitur jamjam soluturus oram felicem sibi ventum à Deo optimo maximo exoptet, cui se, suaq; omnia tanquam rerum omnium & Autori & conservatori diligenter committat: eumq; studio summo roget, quo ve-

Ἀφιξις seu discessus peregrinantis præcepta complectens.

lit suum institutum iter honestatis & publicæ utilitatis causa susceptum, & fortunare, & ad Nominis sui sanctißimi gloriam, Patriæ autem incrementum & honorem, divina sua clementia & bonitate dirigere. Estq́ hæc εὐσέβεια, quæ soli Deo debetur.

Altera verò pietatis pars, quæ in homines est, requirit, ut parentibus, amicis, cæterisq́ Reipublicæ patribus valedicat, quibus etiam magnam spem de peregrinatione faciendo, se summoperè commendare debebit; atq́ adeò, ut illis quodammodò jam certò constare poßit, adolescentem nullam aliam ob causam, quàm utilitatem Patriæ, familiæ verò ornamentum, honorem et gloriam, hanc profectionem suscepiße. Tali itaq́ viatico, pietate nimirùm & timore Dei, ex quo omnis sapientia oritur, instructus adolescens proculdubiò felicißimè apud exteros & versabitur, & peregrinationis suæ fructus optimos, longeq́ suavißimos reportabit. Comites peregrinantis. I. Pietas. Timor Dei.

Abrahamus, cujus filiū Isaac Deus cū sibi sacrificii loco immolari præciperet, Exemplum timoris Dei.

ret, hoc viaticum habebat, ideoq́; incredibiles fructus, promißionem scilicet, de semine suo consecutus fuit. Ad hæc requiritur tabella quædam ad excipiendum ea, quæ in itinere obitèr occurrere solent. Hominum enim memoria nunquam tam stabilis, tamq́; firma est, ut illa omnia comprehendere & semper tenere valeant. Talia autem sunt urbes, arces, montes, sylvæ, valles, flumina, & si quid est singulare in aliquo oppido aut loco, quod prætereuntibus videndum exhiberi solet. Maximè verò prodest diversitatem viarum, seu clandestinos in aliquam Regionem ingressus, & Fluviorum alveos vadosos inquirere.

Ἐφήμερις seu diarium comparandũ

Memoria profecturo.

Consideranda in itinere.

Ex historiis enim accepimus magnanimum & generosum Baronem Georgium à Fraundsperg, cùm Tridenti cum universo apparatu bellico ageret, viaq́; publicæ ab Italis occupatæ, atq; interclusæ essent, eorumq́; forti præsidio tenerentur, relictis gravioribus belli machinis, altissimas & asperrimas alpes cum toto suo exercitu conscendisse, atque in paucis diebus in hostium terram non

Exemplum Baronis à Fraundsperg.

absq;

absq; magna eorundem & admiratione & clade venisse. Equidem rem planè admirabilem & miraculo non multò dißimilem, cùm in Italiam anno sancto per Noricas alpes asperrimas iter facerem, in Castello Heiden, non procul à Beuttelstein arce natura munitißima, distante vidi, quam huc referre neutiquam piguit. Ibi sex corpora post hominum memoriam in parvo quodam sacello reservata prætereuntibus ostenduntur. Mihi cur non sepelirentur ex Incolis quærenti responsum fuit, terram illa absumere non posse: caussam verò scire cum vellem, hanc quidam aßignabant, se à Majoribus suis accepisse, homines illos, quibus cum in controversia quadam inter Archiduces Austriæ & Venetos jusjurandum delatum fuisset, ita quoq; inter cætera jurasse, si falsum juro, statim moriar, sepulturaq; indignus efficiar, & quia hac ratione adversus veritatem juraverint, hoc ita posteà contigisse. Quod si verum est, maximam vim jurisjurandi esse, quis non affirmabit? Illud certè stupendum est,

Aliud: historiæ in Castello Heiden observandæ.

Beutelsstein arx. [illegible] 6 [illegible]

Vis jurisjurandi.

ut ejusmodi peccatorum pœnæ à parentibus ad liberos plerunq; etiam deriventur. Est enim hîc quoq; infans eandem pœnam sustinens, cujus brachia, manus, digiti, os, nares & cæteræ corporis partes, adhuc quidem integræ, carni tamen siccatæ simillimæ sunt: maximè verò dentes, ut vix credam pulchriores, & magis albos in homine vivo existere posse. Via deinceps illa erat valdè aspera, insueta, ideoque maximè periculosa. Homines præterea ibi in finibus habitantes sunt inhospitales, inhumani, lucri cupidi (quod equidem proprio damno expertus loquor) & mores execrandos habentes. Nec mirùm est, cum in horrendis montibus habitent, nec talem, ut nos, cæli clementiam experiantur, sed toto ferè anno horrendum Boream inimicum habeant. Adolescentes itaq; aut ipsimet hac in re cautè, & circumspectè agant: aut sibi tales itineris comites adjungant, quorum prudentia & integritate adjuti, non facilè ab ejusmodi fraudulentis hominibus circumveniri queant.

Modestia & Esto porrò in illis perpetua modestia

stiæ & verecundiæ observatio. Longissimè verò absit linguæ temeritas, quæ quid in itinere, & hospitiis efficiat, multi profectò maximo suo incommodo experti sunt.

verecundia in adolescente esse debet.

Deinde verò quando ventum est in ipsam Regionem, duo potissimùm consideranda erunt: Aër nimirùm & Situs. Ad aërem, cæli clementia, serenitas, temperies, & salubritas pertinere videtur. Italia aërem habet subtilem, penetrabilem, in quibusdam locis inconstantem, ideoq; etiam, præcipuè tamen æstate, pestiferum. Romæ valdè periculosum est peregrinis vivere, tùm propter aëris inconstantiam: tùm propter caloris vehementiam, quæ tribus mensibus continuis ardentissimè durat. Hinc adolescentes diætam in cibo & potu parvi facientes, & viribus naturæ suæ confidentes, incidunt facilè in lethales febres, quæ Romæ, & ferè in tota Italia frequentes sunt.

Præcepta quæ in ipso loco observandæ cum subjectis exemplis.

Italia

Roma.

Ego cum adhuc Romæ essem, multi Germani hac ratione animam exspirârunt. Secus tamen & melius degitur Se-

nis, Bononiæ, Patavii, ubi aër est purior & constantior. Situs observatio quatuor plagas, parallelos & climata complectitur. Situm Italiæ descripsit Glareanus in hunc modum. Italia Peninsula ab Occasu alpium jugis terminatur ad Varum usq; Flumen, & Tyrrheno pelago, quod etiam mare Tuscum & inferum dicitur: à Septentrione alteris alpium jugis, quæ Rhetiæ, atq; aliis sequentibus nationibus imminent: ab Ortu Hadriatico mari, quod nunc Venetum vocant, olim à Romanis Superum vocabatur, deniq; à Meridie mari Siculo. Hæc igitur, quantum ad superiora attinet, generaliter adolescenti notanda videntur. In inferioribus verò montium consideratio prima est. Hîc adolescentes pascua, ut in Helvetia, varia metallorum genera, ut in Misnia, Styria & Alsatiæ finibus, si commodè fieri potest, animadvertere debebunt. Huc pertinent fodinæ metallicæ, quæ sunt diligenter inspiciendæ, auri & argenti separatio: metallicorum leges & consuetudines, in quibus plærunq; singularia reperiun-

Situs in quo plagæ observandæ.

Situs Italiæ.

Montes, & quæ in illis notandæ.

Argenti fodinæ.

riun-

riuntur, quæ & admiratione & cognitione digna sunt. In montibus Sudetis, sic à Ptolomæo appellatis, non procul ab oppido Schwartzenberg, ferrũ & stannum simul effoditur. Vt autem stannum à ferro commodissimè separari & in hominum usum transferri posset, ibidem sapiens natura alios montes effinxit, qui Magnetis copiam suppeditarent. Materiæ itaq; effossæ & in pulverem redactæ immittunt Magnetem, à quo statim id quod ferreum est attrahitur, & à stanno sine magno labore separatur. Quod si natura non ita excogitasset, hæc metalla nec à se invicem sejungi possent: nec aliqua stanni utilitas esset, sed unà cum fumo evanesceret. Vnde meritò hæc res miraculum naturæ judicari debet. In Italia insignis mons Apenninus, qui totam terram velut in duas dividit plagas, unam ad occasum & meridiem: alteram ad ortum & septentrionem, diligenter observandus est, præsertim verò in illa parte, ubi Roma ad Forum Sempronium itur. Ibi enim Iulius Cæsar per Saxum durissi-

Exemplum separationis stanni & ferri in mõtibus Sudetis.

Mons Apenninus

mum portam & viam aperuit, quam Itali (l' Forno) nominant. Cernitur adhuc nomen ipsius supra portã effossum. Vichto mons. *Observatu dignus est Vichto mons à Pinastris ita dictus, qui intra Danubium & Hercyniam sylvam habitârunt.*

Parturit quatuor celebres fluvios, quos ad quatuor Cæli cardines profundit: Sala Septentrionem petit: Mœnus Occidentem solem: Ægra ad Orientis ora fluit: Nabus Meridiem versus. Ad Thermæ *montes præterea Thermæ, quarum utilitas in vita humana est maxima, referendæ sunt. In his duo sunt inspicienda, qualitates aquæ, & quibus morbis curandis adhibeantur. Hujus rei multa paßim in Germania præclara habemus exempla. Romæ videntur adhuc Thermæ Neronianæ, Antonianæ & Diocletianæ, quæ licet hodiè dirutæ & collapsæ spectentur, apparet tamen eas non solùm amplas, sed etiam magnificè exstructas fuisse.*

Flumina & eorum ortus. *Montes sequuntur flumina, quorum scaturigines, nominis variatio, &*

utili-

utilitas observari debet. Inter cæteros Germaniæ fluvios insignes, sunt Danubius & Rhenus. In Italia Padus, Tyberis, Athesis, quæ quidem in Germania ex Tridentinis alpibus oritur, & Veronam pulcherrimam urbem dividit. Danubius autem, qui totius Europæ ornamentum est, ex jugis Arnobæ montis oritur: Rhenus ex Rheticis alpibus originem suam habet: Padus è gremio Vesalii montis ortum ducit: Tyberis ex Apennini jugis profluit. Variant interdum flumina nomina sua, ut Danubius, qui antequam in Pontum influit, alio nomine Ister appellatur, idque fit, quamprimùm terram Illyricam alluit. Eorum autem utilitas multiplex est. Quidam enim propter aurum, quod in illis crescit, commendantur, ut Rhenus Germaniæ: Tagus Lusitaniæ: Hebrus Thraciæ: Pactolus Lidiæ, de quo proverbium (Pactoli opes) natum est.

Danubius. Rhenus. Padus. Tyberis. Fluvii auriferi.

Hinc fabulantur Poëtæ, Cum Midæ Phrygiæ Regi Bacchus, quem hospitio susceperat, votum concessisset, ut quicquid vellet, optaret, id enim certò futurum

Midas Rex auarus lege

turum esse, omnia, quæ corpore contrectaret, ut in aurum verterentur, Regem optasse. Verùm cum cibus & potus contacti etiam in aurum mutarentur, sensit tandem stolidus & avarus Rex, quid petiisset, cœpitq; pœnitere, Deumq; orare, ut illum hac pœna liberaret. Jussit itaq; Bacchus, ut in Pactolo flumine se lavaret: quod cum faceret, Fluvius arenas aureas attrahebat. Quidam verò fluvii laudantur ob piscium copiam, ut Danubius & Rhenus. Hæc enim pertinent ad sustentationem vitæ humanæ: ideoq; huc spectant lacus, amnes, stagna, quæ piscibus abundant. Inter cæteros verò insignis est Lacus Brigantinus; cujus utilitatem multæ Germaniæ Provinciæ subinde experiuntur. Quantùm verò commodum homines ex fluviis consequantur, qui sunt navigabiles, haud facilè dixerim. Tales autem sunt Danubius, Rhenus, Padus. In Pado quidem solutis velis navigatur, cujus tanta utilitas est, ut mercimonia per certos canales hominum solertia excogitatos & fabricatos, hinc inde in varias Italiæ civitates

Fluvii piscolenti, | Lacus, stagna. | Lacus Brigantinus. | Fluvii navigabiles | Padus,

civitates

vitates portari queant. Quamobrem cùm flumina in mare influant, ut Danubius in Pontum: ut Rhenus hodie tribus oſtiis, olim ſaltem duobus in Oceanum Septentrionalem: Padus in Sinum Adriaticum: non abſurdum eſt, ejus conſiderationem huc quoq; referre. Verùm maris exacta tractatio quoniam hic propoſita non ſit, eam ſaltem levi (ut ajunt) brachio, & pro inſtituti ratione attingemus. Relictis itaq; monſtris & piſcibus marinis, contemplabitur adoleſcens Triremes, tanquàm opus admirabile, hominum induſtria inventum. In his videntur præter ſtructuram varia, ut homines moribus & lingua diſsidentes: ut officia: alii enim mira velocitate malos ſcandunt: alii deplorandæ conditionis homines remigant: alii per foros curſitant: alii ſentinam exhauriunt: tandem Patronus & Gubernator navis ex ſyderum intuitu quo ſit eundum oſtendit. Ne autem maris appellatio omittatur, conſtat, Oceanum, qui totam terram ambit, à velocitate nominatum eſſe. Mare Atlanticum dicitur:

Fluminũ oſtia cũ transitione ad mare.

Mare.

Monſtra

Naves.

Etymologia maris.

quod ab Occidente montem Atlanticum alluit. Mediterraneum autem à Regionibus, quas alluit, varia sortitur nomina. In mari etiam fluxus & refluxus, quo scilicet tempore contingant, spectandi sunt. Et hoc quidem Venetiis videri potest. Mira & observatu digna est illa Venetorum consuetudo, vel potius erga mare Religio. Solet enim inclytus Venetorum Dux secum assumpto toto Senatorio ordine in die Ascensionis Domini, magna & solennitate & triumpho, nec non populi applausu, sibi mare annulo aureo quotannis desponsare: in eum, credo, finem, ut, ira maris hac ratione placata, Veneti meliùs rebus suis vacare, & tutiùs navigare valeant. Hujus classis quoq; sunt Ostreæ marinæ, quarum copiam habet Sinus Adriaticus, seu mare Venetum. Ex his nescio, quam voluptatem hauserint Germani. Vulgatum enim nunc est, ut eas etiam tenuioris fortunæ homines sibi ex Italia adferri curent: nec hac in re ulli sumptui parcant. Eiusmodi Philoxeni per Magistratum à luxu ad

Maris reciprocatio.

NB Venetorum mos in mari placando

Ostreæ marinæ.

tem-

temperantiam vocandi ſunt & admonendi, ne ventri ſuo, quem Plato meritò culinam dixit, nimiùm indulgeant. Tales enim cibi non ad corporis neceßitatem, ſed ob voluptatem expetuntur. Verùm noxii hæc à me bono animo excipiant. Id enim dico, quod verum eſt, & quod apud veteres Germanos in uſu non fuit: & ſi fuiſſet, laudari tamen minimè poſſet. Vt autem ad rem redeam, animadvertendum etiam eſt, num regiones Sylvis, Saltubus, Lucis, vel nemoribus ſint à natura prædite & ornate. Boëmiam Sylva Hercynia, quæ in Nemetum, Rauracorum & Helvetiorum finibus oritur, & ad Septentrionem latè porrigitur, pro nativo muro in modum cordis, Citharævè munivit. Saltus verò, in quibus pecudes paſcuntur, plurimos habet Nobilis Germania. Lucus autem locus eſt vel alicui deo, vel cuiusdam hominis cineribus conſecratus: unde Virgilius:

Venter. Hercynia ſylva. Saltus. Luci.

Nulli certa domus lucis habitamus opacis.

Putant tamen aliqui lucum appellatum fuiſſe vel quia parùm luceat, vel

Etymon.

pro-

propter crebra sacrificiorum lumina, quæ ibi nocturno tempore antiquitùs fieri solebant: de quibus eleganter Poëta:

Lucus in urbe fuit media lætissimus umbra.

Lucus Colchicus. *Talis Lucus fuit Marti consecratus apud Colchos, in quo Poëtæ finxerunt aureum vellus Phryxëi arietis à perquàm vigili Dracone custodiri.* Nemora *Nemora deinceps sunt loca opaca, amœnitatis & voluptatis plena. Hac in re non immeritò commendatur Italia, quæ nemoribus est gravida.* Exempla Nemorum. *Magnus Dux Hetruriæ in civitate Florentia amœnissimum habet, cujus arbores sunt Cyparissi. Tale etiam est Romæ in Vaticanis.* Adjuncta sylvarum. *Deinde verò ad Sylvarum inspectionem pertinent animalia, de quibus Virg:*

Itur in antiquam Sylvam stabula alta ferarum.

Feræ. *Venandi ratio: & res circa venationem gestæ. Sylva Hercynia varia nutrit animantia, scilicet, Vrsos, Bubalos, Boves sylvestres, Lupos, Apros, Cervos, Damas, Lepores &c.* Cervorũ multitudo in Bavaria. *Ob cervorum copiam inter reliquas Germaniæ Provincias, non minima est Bojoaria. In multis*

multis quippè locis plures, quàm ducenti catervatim ad pastum ire spectantur. Venatio verò præsertim capreārum, cervorū, aprorum, hinnulorumq́ in aliquibus Germaniæ partibus oculorum effoßione, in quibusdam capitis truncatione privatis interdicta est: Feras tamen noxias impunè capere licet. Aliter in Helvetia, quæ cives, omnesq́ privatos homines venandi libertate donavit. Romæ sæpè contingit, ut diversi easdem feras venentur, illius tamen sint, qui prius viderit, læserítve, licet alius ceperit, modo prosequatur, ejusq́ oculos non evadant. Ad res circa venationem gestas pertinet illud, quod invictissimo Heroi Carolo V. Imperatori accidit. Nam cùm anno 32. ad Conventum Ratisbonensem tenderet, hospitio à Principe Palatino non procul ab Heidelberga excipiebatur. Ibi cum venatio animi gratia instituta esset, Imperatori cervum insequenti, fortè fortuna Lupus occurrit, quem cum Imperator relicto cervo, omnibus quibus poterat viribus, insequeretur, lapso equo fregit crus, quod

Venatio privatis interdicta.

Venandi libertas apud Helvetios.

Venatio Romæ qualis.

Historia in venatione Caroli V. dum cervum insectatur.

Chirur-

Chirurgi prorſus inſanabile judicantes, pedis abſciſionem ſuadebant. Et cùm allatis omnibus inſtrumentis, jamjam pedem abſcindere vellent, intervenit, ſic ordinante Deo, inclitus Rex Ferdinandus, qui Chirurgis, ut ab hoc propoſito deſiſterent, graviſſima pœna interdixit, conſuluitq́; Imperatori, ut ſe ad vicinas thermas conferret. Quod Imperator cum feciſſet, convaluit, fuitq́; crus hac ratione ſanatum. Deinceps obſervandi quoq; ſunt Campi, in quibus res geſtæ ſpectandæ ſunt. Sic commemoratur prælium admodum cruentum inter Attilam Hunnorum Regem, qui ſe metum orbis appellabat, & Ætium Valentiniani Imperatoris Ducem in rebus bellicis exercitatiſſimum, in Catalaunicis campis Anno Domini 455. commiſſum, in quo centum & octoginta hominum millia cecidêre.

Rex Ferdinandus

Campi Cantalaunici. Prælium atrox & horrendum.

Ajunt Hiſtorici rivulum, qui Catalaunicum præterfluit, humano ſanguine ita auctum fuiſſe, ut rapidiſſimo curſu inſtar torrentis effluxerit. Sequitur nunc, ut etiam aliquid de terrarum

ferti-

fertilitate, & frugalitate observandum præcipiamus, quæ est vel montium, vel planiciei. Montes autem plærunq; vites alunt, ut in Alsatia, Austria & aliis locis quamplurimis: aliquando etiam olivas, ut in Italia. Planicies verò agrorum est, quorum culturam videmus variam. Nam alii herbam: alii frumenta: alii vinum quoq; alii lupulum, ex quo fit cerevisia, producunt. Vt igitur vinum commendat Alsatiam, ita frumentum Boioariam & Boëmiam, quæ etiam non minimas laudes meretur ex cerevisia, quæ ibi coquitur, & in multas Germaniæ confines Provincias vehitur. Equidem cùm anno septuagesimo tertio à generoso Barone Ioanne Iacobo Fuggero &c. quorundam negotiorum gratia Pragam missus essem, Boëmiæ fertilitatem, frumentorumq; copiam planè miratus fui.

Fertilitas Regionis observanda.

Montes vitibus consiti.

Boëmiæ laus ex cerevisia

Verùm multò magis me commovebat Italia, cum Tervisio discedens Vicentinorum urbem peterem. Toto enim die duo agri fertilissimi, unus à dextro, alter à sinistro latere, tanquam jucundissimi

dißimi Comites, me comitabantur. Ibi triplicem utilitatem, quam Itali ex agris capiunt, animadverti. Prima erat vini: secunda frumenti: tertia lignorum. Cum enim Lambardia Sylvis sit plerunq; destituta, arbores ordine plantatæ & vites sustinent, & ligna quotannis cædua, ut apud nos silices, incolis reddunt. Ad fertilitatem præterea pertinent quoque cæteræ fruges: item pecora, equi, tauri, & similia. Italiam mira frugum fertilitas, nobilia pecorum vellera: Neapolitanum regnum equi generosi: Pannoniam optima taurorum colla commendant. Verùm enimverò ne obliviscar nobilis Germaniæ, quæ hodiè, si consideraveris Regionis amœnitatem, cœli clementiam, frumentorum abundantiam, vitiferos montes, clarißimos amnes, pulcherrimas & munitißimas urbes, urbanitatem civium, rei militaris peritiam, & reliqua ornamenta ad Rempub. spectantia, nec Italiæ, nec Galliæ, nec Hispaniæ ipsa cedet. Interrogentur Itali, Galli, Hispani, unde argentum suum habeant, nónne fatebuntur

Triplex agrorum utilitas in Italia.

Armenta.

Germaniæ laus.

ex

ex Germania? Si itaq; hodie Cæsar, vel priscorum quispiam ab inferis resurgeret, nobilemq́; Germaniam oculis contemplaretur, nunquid is Germanos Barbaros appellaret? Verùm enimverò ne nostra longior, quàm decet, videatur oratio, transeamus ad urbes, quarum consideratio in externis & internis consistit. Primò itaq; adolescens urbium nomina inquirere debet, in quibus imponendis ut veteres solertes fuêre, ita quoq; eos, qui paulò pòst priora secula secuti sunt, non minore Religione præditos fuisse constat. In iis autem faciundis pleriq; rerum eventum considerârunt, unde civitates nomina posteà sortitæ sunt. Verùm hoc adolescentes ut meliùs intelligant, et quasi ad vivum depictum habeant, placuit, omißis peregrinis & incognitis, domestica quædam exempla ponere. Regia itaq; ac pervetusta amœnißimo loco sita civitas Aquisgranum ab aquis calidis, quæ Græcis Thermæ dicuntur, nomen habet, vulgò Ach dicta ex eventu quodam fortuito, certißimo tamen ipsius Caroli Magni Impera-

Vrbium consideratio duplex.

Externa. Appellationes observandæ.

Aquisgranum cur Ach dictum.

toris primi Germanorum. Eo enim loco castrum erat Regium, in quo charißimã Φιλȣμένlω fovebat, quæ cùm absente Rege fatis ibidem conceßisset, hocq; Regi in castra redeunti nunciatum cum esset, morte illius nimiùm perturbatus invictißimus Heros, tristis ac perturbati animi vocem (Ach) edidit, hinc urbi nomen posteà hæsit, ut dolorem Regis testaretur. Nobilis verò ac insignis Helvetiorum civitas, Berna vulgo dicta, ab vrsis, ceu nomen refert, appellationem desumsit. Bertholdus enim Dux de Zäringen cum tertium oppidum condere constituisset, juxta castrum suum Neideck de nomine imponendo sic actum esse accepimus. Bertholdus venatum exiens de prima bestia, quam caperet, nomen urbi imponere constituit. Vrsus ergò cum primò occursâsset, captusq; esset, Civitati inde nomen impositum est. Eo jam loco, quo urbs exstruenda erat, Sylva erat arboribus pulcherrimis, ex qua ligna cædentes rythmum dicebant;

Berna Helvetiorum civitas vnde dicta.

Achaquo appellatũ

Holtz laß dich hauen gern/
Die Stadt muß heissen Bern.

Pragam

Pragam verò Regiam illam & amplißimam Boëmiæ urbem Rex Primislaus aggere ac muro cinxit, de cuius nomine dum disceptaretur, jußit Libussa ex artificibus, qui prius occurreret, rogari, quidnam ageret, ac ex priore verbo ejus vocari oppidum. Interrogatus faber lignarius quispiam, limen se facere dixit, quod Boëmiæ Praha sonat. Inde nomen urbi datum: sed corruptè nunc Praga dicitur. Vrbium itaq; nomine & ejus derivatione perspecta, observandus est Situs, mœnia, propugnacula, fossæ, turres, pontes sublicii, Cataractæ, portæ, cuniculi & similia. Situs non tantùm, ut Regiones, quatuor plagas, verumetiam fundamenti rationem & commoditatem loci comprehendit: sitq; urbs natura vel arte munita videndum est. Hæc autem, ut cætera, lubet exemplis quibusdam non omninò etiam doctis auribus indignis, ad oculum demonstrare.

Pragæ appellatio unde.

Extra urbem quæ sint observanda.

Situs.

Venetiæ totius orbis Emporium longè nobilißimum, quæ anno DOMINI *454. conditæ fuêre, providens natura*

Venetiarum Situs.

Venetia

finu Adriatico, in quo fundatæ ſunt, pro mœniis robuſtiſsimis cinxit atq; munivit. Diſtant enim à terra milliare Germanicum. Hinc nec muris opus eſt: nec cuniculi ad fugam neceſſarii ſunt: nec propugnacula ad depellendum hoſtem requiruntur: nec portis vel Cataractis ad irruptionem hoſtium eludendam & propulſandam indigent. Foſſam verò ampliſsimã habent, nempè mare ipſum, quod pericula, omnemq; impetum facilè cohibet. Equidem certè nihil æquè admiratus fui, quàm primos conditores auſos fuiſſe urbem fluctibus committere: ſed facilè coëgit neceſsitas illis à Barbaris imminens, quæ nihil intentatum ſeu intactum relinquit. Inter cæteras verò Italiæ urbes & natura & hominum ſolertia munitas, Ferraria inexpugnabilis videtur, utpotè quæ ex una parte Padi brachium, ex altera verò fluvium ipſum non procul diſtantem, foſſamq; & amplam & profundam habet. Mœnia ſatis robuſta ſunt: Portæ propugnaculis munitæ: nec Cataractis ſeu pontibus ſubliciis carent. Et quid multa? Nihil habet,

Ferraria urbs munitiſsima.

bet, quod hoſtem non in fugam, & deſpe-
rationem agere & vertere queat. Ve-
rùm enimverò quid de illa nobiliſsima
& Imperatoria Sede, munitiſsima urbe
Vienna, ad Danubium ſita, quæ hodiè Vienna.
totius Imperii propugnaculum & quaſi
clavis eſt, judicabimus? Quid de Ingol- Ingolſtadium.
ſtadio? Quid de Argentina & cæteris Argentina.
Germaniæ urbibus? Num illas minori
Religione obſervandas eſſe putamus?
Hagenoa quidem Imperii civitas non Hagenoa.
admodùm munita eſt, ſed tamen tot
pinnacula habet, quot dies annus. Huc
pertinent tres illæ Germaniæ altiſsimæ Turres Germaniæ præcipuæ.
Turres, de quibus vulgò dicitur, qua-
rum prima Viennæ eſt: altera pulcher-
rima ſanè & magnificè fabricata Ar-
gentorati: Tertia verò Landishutæ. His
addi poteſt & quarta, quæ eſt Fribur-
gi Briſgoiæ non vulgari ratione exſtru-
cta. Deinde non minori cura & dili-
gentia obſervandi ſunt pontes, quorum Pontes.
exempli loco inſigniores duos ponere vo-
lui. Ratisbona illa nobilis Imperii ci- Pons Ratisbonēſis.
vitas, olim à Carolo Magno Reginobur-
gium appellata, Pontem lapideum ha-

bet trans Danubium admodùm insignem, qui anno 1113. exstructus fuit. Cui non cedit eximius Pons Pragensis ex lapidibus fabricatus, qui arcus vigintiquatuor complectitur. Fuit autem ædificatus ab Vladislao, qui sibi & posteris suis dignitatem Regiam à Friderico primo obtinuit. In Portis verò annus Domini, & insignia inspicienda sunt, quæ plerunq; rerum eventum aliquem arguunt. Sic Monachium pro insignibus habet Monachum, ideò nimirum, quod illo loco, quo nunc Civitas est, Monasterium erat Schefftlern, quod Heinricus duodecimus Bavariæ Dux in urbem transmutavit. Simili modò Argentinensium insignia à viis publicis, ceu nomen urbis (Strasburg) refert, desumta fuêre. His igitur cognitis urbem ingredi debemus, in qua plateas, fora, fontes, aquæductus, hortos, & ædificia considerabimus. In plateis amplitudo, longitudo, mundicies & ædificiorum ordo spectandus est. Romæ via Iulia longißima sanè & satis ampla est, in qua Hieronymus Cardanus Medicus habitavit. Bernensis

Pons Pragensis.

Portæ ubi annus & insignia notandæ.

Monachium.

Argentina.

In urbe quæ sint observanda.

Platææ.

Via Iulia

Berna.

nensis Civitas, de qua etiam supra mentionem feci, tres perpetuas & longissimas plateas habet. Propter mundiciem verò meritò laudandum est Friburgum Brisgoiæ oppidum, ubi sub celeberrimis viris Ioanne Hartungo & Ioanne Thoma Freigio insigni Philosopho & Iurisconsulto, Præceptoribus mihi summa in perpetuum observantia colendis, Tyro militavi. Fluunt autem per singulas huius oppidi plateas perpetui rivuli, qui sanè magno usui sunt, sive salubritantem, sive incendia, sive alia quàm plurima consideres. Ad platearum elegantiam, mundiciem, ædificiorum veram dispositionem, & limpidissimorum fontium multitudinem quod attinet, præclarissima est inter civitates Principum Monachium, ideoq; etiam nominatissima. In Italia Portus maris Pysaurum Vrbinorum Ducis oppidum mihi sanè politissimum, pulcherrimumq; visum fuit. In illa urbe Tuam, illustrissime Princeps, munificentiam, liberalitatem, humanitatem, & reliquas corporis & animi dotes, sicut in multis aliis civitatibus,

Friburgi Brisgoiæ civitatis laus.

Monachii encomium

Pysaurũ.

tatibus,

tatibus, audivi mirificè prædicari. Deinceps multa pulcherrima fora, quæ ipse in Italia conspexi, pro exemplis adferre possem, si instituti ratio exigeret. Venetiis pulcherrimum & amplißimum est Divo Marco consecratum, ubi magna hominum frequentia ex diversis mundi partibus quotidiè confluit. Ibi equi quatuor erecti sunt, qui Imperatoris Maximiliani primi minas Venetis factas repræsentant. Cum enim illos multis præliis vicisset, dixisse fertur, se ex foro D. Marci equorum stabulum facturum. At paulò pòst inversa fortuna filio navali prælio victo & capto, Imperator à Venetis coactus fuit arma abjicere, & pacis certas conditiones inire.

Forum Venetianum.

Minæ Venetis factæ ab Imper. Maxim.

Quantùm autem fontes concernit, Norimbergæ pulcherrimus & planè Regius est, qui propter structuræ magnificentiam fons aureus vocatur. Habet viginti quatuor fistulas, ex quibus aqua limpidißima & saluberrima profluit. Est igitur hic fons totius civitatis ornamentum & perpetuum decus. Fons octodecim fistulis insignis, quibus aqua gelidißi-

Fontes.

Καλλιχοῤῥὴ Noribergæ.

lidißima sursum, deorsumq́ue fertur, est in oppido Landsperga, in quo olim quidam Bavariæ Duces habitârunt, nunc autem Generosus Comes Suuickardus ab Helffenstain tanquã Præfectus versatur, qui sicut integerrimus est Religione & vitæ innocentia: ita præstantißimus eruditione & magnarum rerum experientia. Si quis verò fontium eximium & magnificum velit spectare exemplum, habet illud extra civitatem Monachium in horto novo, in quo fons gelidißimus ex ære mira industria & solertia fabricatus Actæonis dearumq́ue imagine conspicuus est, qui spectantibus, quoniam aqua impellente moveatur, magnam adfert jucunditatem. Pulcherrimus & amœnißimus hortus est propè Florentiam, in quo, ut de cæteris generosis fructibus taceam, Magnus Dux Hetruriæ summo & artificio, & maximis sumtibus exstrui curavit pulcherrimum fontem, quem variæ animalium species ex Marmore mira arte fabricatæ ornant & commendant. Illud verò admiratione maximè dignum est,

Fons Landspergæ.

bonus et prudens

Monachii fons pulcherrimus.

Hortus fonte Iridem exprimente insignis.

aquam delabentem Sole interſplendente, Iridem haud multò aliter, quàm in ipſis nubibus exprimere. Verùm transeamus ad ædificia, quæ ſunt publica vel privata. Publica in duas partes optimè deduci poſſe videntur. Sunt enim alia, in quibus ea peraguntur, quæ ad Religionem, cultumq́; divinum pertinent: in quibusdam verò tractantur, quæ ſecularia, profana ſeu politica nominare ſolemus. Eccleſiaſtica itaq; ſunt Templa, Fana, Sacella, Monaſteria. In his obſervanda ſunt ſtructura, Sanctorum reliquiæ & miracula, ὑπόγυια, ſepulturæ, Epitaphia. Hæc melioribus exemplis me illuſtrare non poſſe arbitror, niſi à capite ipſo, Roma ſcilicet, incipiam. Templum itaq; Divi Petri in Vaticanis magnificè exſtructum & pulcherrimis Altaribus ornatum eſt: ita ſanè, ut veteres Romani, ſi ab inferis reſurgerent, hujus ſtructuræ magnificentiam etiam admirari cogerentur. Reliquias & miracula, quæ Deus per Sanctos ſuos operatus eſt, ſi ſcire volumus, ubi plura, quàm Romæ inveniemus? Fateor

Aedificia publica & privata.

Publica duplicia.

Eccleſiaſtica.

Baſilica D. Petri Romæ.

Reliquæ & miracula.

inge-

ingenuè me vultum Divinum linteo impressum, & cætera Dei stupenda opera summa reverentia & veneratione conspexisse, neque unquam, quàm ex harum rerum contemplatione, vehementius commotum fuisse. Vbi verò Majores & plures ceremoniæ esse & videri possunt, quàm in eo ipso loco, in quo Vicarius Christi cum cæteris Ecclesiæ Patribus versatur? Caverna est Romæ apud divum Sebastianum ampla & lata, quam una mecum ingressus fuit Nobilis & eruditus vir Ioannes Georgius à Kienburg Iunior. Tempore persecutionis in ejusmodi locis subterraneis Christiani, aut latitabant, aut Martyrum seu militum Christi corpora sepulchris mandabant: sicuti liquidò constat in hac multa millia Martyrum quievisse, qui pro Christiani nominis gloria: pro salute æterna: pro perpetua & cœlesti corona acquirenda constanter pugnantes, nec Tyrannorum minas, nec gravissima suppliciorum genera formidarunt, nec aversati sunt.

Imago Christi linteo impressa

Ceremoniæ.

Ὑπόγυιον Romæ.

Minas nō [illegible]

Quot & quàm magnificas tùm Im-

Monumentum peratorum & Romanorũ veterum, tum Pontificum & clarißimorum, doctißimorumq; virorum sepulturas habeat Roma, declarat Adriani Imperatoris moles, quæ hodiè in arcem munitißimam excrevit: declarat Publii Sestii monumentum instar Piramidis fabricatum: declarat Adriani summi & optimi Pontificis in Ecclesia Germanorum Mausolæum, in quo sic scriptum reperitur:

O quantùm refert, in quæ tempora et homines, cujuslibet viri virtus incidat.

Academiæ & Gymnasia. Ad ædificia Ecclesiastica pertinent quoque Academiæ, Scholæ, Collegia & Religionis Seminaria. In his celebritatem, Scholarum frequentiam, Professorum eruditionem & diligentiam, Privilegia & Fundatorem considerabit adolescens. In Germania celebres sunt Ingolstadium, Friburgum, Lovanium.

Friburgum. Zasius. Friburgi fuit & obiit insignis et celeberrimus Iureconsultus Vdalricus Zasius, quo nullus melius suo tempore in Iurisprudentiæ studio versatus fuit. Prætereo jam Erasmum Roterodamũ: nil dicam

cam de Thamero insigni Theologo: Tacebo de Glareano: omittam Hartungum virum Græcarum literarum cognitione ornatißimum: relinquã Schreckenfuxium Mathematicarum artium & Hebraicæ linguæ peritißimum. De Glareano illud lepidißimum est. Retulit mihi Ioannes Hartungus, aliquando Nobiles quosdam ex Italia profectos fuisse, ut Glareanum, sicuti doctrina insignis & celebris fuit, viderent. Quo cognito jußit Glareanus, ut postero die redirent, se enim jam negotiis quibusdam occupatum esse. Altero itaq; die cum reversi essent, Glareanus sua Laurea indutus, & aurea torque ornatus conceßit in conclave quoddam elegans & amplum, ubi se in Hemicyclum recipiens jußit eos ingredi, qui Glareanum videndum advenerant. Nobiles igitur cum ingreßi essent, & Glareanum, sicuti moris est, salutassent, tum ille sedebat immotus, perinde quasi illos non videret, quos etiam ita abire patiebatur. Hoc Itali cùm mirarentur hancq; inhumanitatem per ami-

Glareanus quomodo ex ceperit Studiosos sui videndi avidos.

cum quendam Glareano exprobrarent, respondit: Cur illis inhumanus videor, cum solum me videndum venerint? At posteà invitatus ab illis, totus dies jucundißimis colloquiis consumtus fuit, ita ut Itali Glareani prudentiam, humanitatem, eruditionem, faceta dicta, servata tamen gravitate, non solùm admirarentur & prædicarent, verumetiam suspicienda esse dicerent. In Galliis celeberrima est Parisiorum Schola, ex qua prodiit insignis Theologus Petrus Maluenda, qui Lutheranæ Sectæ in Colloquio Ratisbonensi ex mandato Caroli V. Imperatoris fortiter restitit. Hujus discipulum Dominum Doctorem Franciscum Astutilium consultißimum Cardinalis Medices Theologum Romæ cognovi, cujus humanitatem, integritatem, & literarum Græcarum cognitionem maximè miratus fui. Sæpè autem à nobis optatum fuit, ut Maluenda, qui Ecclesiæ, & aliis nimis immaturè obierit, à mortuis resurgeret. In Parisiensibus matutinis anno 1572. interfectus est insignis Philosophus & Orator

Parisiorum Lutetia.

Petrus Maluenda.

Petrus

Petrus Ramus, qui quantum in instaurandis artibus præstiterit, multi clari & eruditi Viri testantur. Hoc verò illi, propter hæresin in qua fuisse fertur, contigit. In Italia sunt celeberrima & multa præclara studiorum Gymnasia, & Bononiæ, Patavii, Senis, Romæ, ubi Muretus insignis Orator summa cum laude & dignitate eloquentiæ studio præest. Vixit ibi Hieronymus Cardanus Medicus, qui quomodò me exceperit, recitare libuit. Cùm aliquando illum accederem, atque Domini Pauli Guidelli Clarißimi Medici nomine salutare vellem, primo intuitu ex me quærebat, num illi pecunias adferrem. Hæc quæstio mihi valdè peregrina videbatur, ideoq; illi caussam, ob quam aderam, explicabam: tùm ille sibi nihil negotii cum transalpinis intercedere, se Cardanum esse, neminem ampliùs curare, nisi qui pecunia instructus veniret. Tum ego illum non Cardanum, sed κερδαίνον judicabam. Eum tamen hac in re excusare potest Senectus ingravescens, quæ multa vitia secum adducit.

Petrus Ramus.

Gymnasia Italiæ

Muretus

Cardanus.

Allusio nominis Cardani.

cit. Notum enim eſt illum aliàs eruditißimum virum fuiſſe. Quantùm verò Collegia, & Religionis Seminaria concernit, conſtat Modernũ Pontificem ex ſingulari quodam amore, quo in Germanos fertur, pulcherrimum laudeq́ dignißimum edidiſſe exemplum. Fundavit enim Romæ Religionis ſeminarium, quod Collegium Germanicum appellant, in quo ferè ducenti adoleſcentes gratuitò aluntur, & bonis literis & moribus ad Germaniæ utilitatem inſtituuntur. Vnde dubium non eſt Germaniam huius rei ſubindè magnum fructum & commodum percipere. At videamus nunc quarundam Academiarum fundatores. Ingolſtadienſis ad Danubium in Bavaria juxta normam Viennenſis inſtituta eſt anno Domini 1472. à Duce Ludovico cognomine Barbato, qui ibidem Templum magnificum Deiparæ Virgini conſecratum exſtruxit, in quo præter cætera annus lapideis literis artificioſè denotatus eſt. Continet autem quælibet litera pedes duodecim.

Collegium Germanorũ Romæ à Gregorio XIII fundatũ.

Fundatores Academiarũ.

Ingolſtadii.

Templũ Marmore ſtratũ, cui hic numerus inſertus eſt.

ANNO DOMINI M CCCCC DECIMO.

Fribur-

Friburgensem Brisgoiæ Academiam fundavit anno Domini 1460. Albertus Austriacus. Studium Pragense erexit Carolus Quartus Imperator anno Domini 1370. quod paulò pòst propter Sectam Hussitarum rursus dissipatum fuit. Nobilem verò Parisiorum Scholam instituit anno 791. ad similitudinem Romanæ, optimus & literarum amantissimus Princeps Carolus Magnus Imperator. Antiquissima verò est Academia Romana, utpote, quæ 700. annis ante Christum natum ex Athenarum reliquiis cœpisse dicitur. Hanc, cum ad ruinam inclinaret, instauravit Papa Eugenius Quartus, quem Sabellicus passim in Europa plurima studia instituisse testatur. Ad Academiarum considerationem referendæ sunt Bibliothecæ, quæ sunt omnis eruditionis & sapientiæ Thesauri. In his colligendis ut Veteres & Majores nostri summam & perpetuam laudem quæsiverunt: ita Serenissimus ac potentissimus Princeps Albertus Parens tuus, Illustrissime Princeps, qui sicut Religionis studiosissimus, ita

Friburgũ fundatur à Duce Alberto Austriæ.

Pragensis Academia.

Lutetia Parisiorum.

Romana

Bibliothecæ.

Bibliotheca à Duce Bavariæ instituta.

E 5 lite-

literarum, & hominum eruditorum amantißimus est, sibi hac in re nominis immortalitatem, perennemq́ peperit memoriam. Hoc Serenißimæ suæ Celsitatis in exstruenda Bibliotheca studium admirabitur posteritas, talemq́ Principem beatißimum judicabit, utpotè qui multarum virtutum, maximè verò illius, quæ Principum est, quodammodò propria, plurima & pulcherrima ediderit specimina.

Vaticana Bibliotheca.

Quid verò de nobilißima & omni librorum genere copiosißima Bibliotheca Vaticana dicam? In hac fateor me librorum pulcherrimum et preciosißimum thesaurum conspexisse.

Mediceorum Bibliotheca.

At non minori studio inspicienda est Bibliotheca Florentiæ anno Domini 1484. per Laurentium Medices instituta, qui, Ioanne Lascare, e Lascarina Imperatoria stirpe nato, Legato usus ad Bajazetem, impetravit, ut liceret ei tutò abditas Græciæ Bibliothecas perscrutari & conquirere, quæ posteà in Italiam translatæ fuêre, de quibus hæc Bibliotheca extat. Inter reliquos libros singulari quadam diligentia seu veneratio-

ratio-

ratione reservantur Pandectæ Iustiniani Imperatoris, tanquàm thesaurus quidam preciosus nullaq́ pecunia comparandus. Huc pertinet etiam Ars Typographica anno Domini 1440. inventa: Antiquitates, Porticus, Arcus triumphales, Fornices, Columnæ, Pyramides & similia. Harum quippe rerum gratia doctißimos & clarißimos Viros peregrè profectos fuisse, luce meridiana clarius est. Romæ videntur adhuc Arcus Titi & Vespasiani & Septimii, sed ut suprà dictum est, diruti & ferè collapsi. Columnæ duæ sunt: Vna in honorem Antonini erecta: Altera Adriano Imperatori ob summas & planè Heroicas virtutes à civibus Romanis consecrata est. Equidem in Capitolio vidi Lupam ex ære fabricatam Romulum & Remum urbis Conditores lactantem: Item Herculem & ejus prolem. Invictißimo Heroi Iulio Cæsari erexit Roma ibidem, tanquàm sempiternum monumentum, Equum æreum mira solertia fabricatum, cui Cæsar insidet.

Pandectæ Iustiniani Imp.

Ars Typographica & Antiquitates.

Arcus Titi Vespasiani & Septimii

Columna Antonini.

Romulus & Remus ære incisi.

Iulius Cæsar in Capitolio.

Cæte-

Rejectio Antiquitatum.

Cæteras insigniores antiquitates, quæ Romæ & paßim in Italia videndæ sunt, brevitatis studio omitto, eosq́ue, qui ejusmodi scire & intelligere desiderant, aut ad peregrinandum & res ipsas inspiciendum, aut ad Appiani de Antiquitatibus librum remitto. Ædificia igitur profana sunt publica vel privata. In publicis numerantur Curia, Armaria, Frumentaria, Macella, Vectigalia, Xenodochia: Nosodochia, Amphitheatra, Balnea, item ea, quæ exercitii gratia sunt instituta, quæ nominari possunt Gymnastica. In his præter structuræ magnificentiam, sunt etiam observanda singularia: ut Patavii in Curia Lapis turpitudinis, seu ut Iurisconsulti loquuntur, ceßionis bonorum, cui, qui solvendo non est, denudatis posterioribus insidere tenetur, in eum finem, ut alii hanc infamiæ & turpitudinis non vulgarem notam formidantes, fidem non ita facilè seu leviter frangendam existiment. Armarium Venetiis est (quod vulgò Arsenale vocant) omni armorum genere refertißimum, sive mari, si-

Aedificia profana duplicia.
Publica.

Lapis turpitudinis.

Arsenale Venetianum.

ve

ve terra pugnandum ſit. Elegantia certat cum varietate, ita ſanè, ut aliquis non arma, ſed theſaurum pulcherrimum ſe ſpectare arbitretur. Oppidi magnitudinem obtinet, ſitum in parte urbis, murisq́; cinctum, ut ipſum per ſe, ſi qua vis ingruat, teneri ac defendi poßit. Vltra quatuor millia operariorum (ut mihi dictum fuit) alit quotidiè: quorum alii Naves varii uſus ac magnitudinis ædificant: alii Vela, Anchoras, Bombardas, quas inſtar Pyrarum conſpexi: alii deniq; cætera armamenta expediunt. Puto ſimiles quondam in re navali fuiſſe Athenas, quarum opes, potentiam & res geſtas cùm legimus, etiam hodiè admirari ſolemus. Quantum ad ædificia privata attinet, notanda ſunt Elegantia, Picturæ, Æs, Marmor, Manus artificum & ſimilia. In his omnes Italiæ urbes facilè ſuperant ſuperba Venetorum Palatia. Hæc ſequuntur Florentinorum magnifica ædificia. Patavii Palatium pulcherrimum eſt, in quo clarißimus & eruditione præſtantißimus Iuriſconſultus & Antiquarius

Aedificia privata.

Mantua

Mantuæ humanitas & in Antiquitatibus colligendis studium.

Mantua habitat, qui me paulò aliter, quàm Cardanus, excepit: Bibliothecam suam optimis Autoribus refertißimam aperuit: Antiquitates, quarum magnam copiam habet, monstravit: earumq́; nomina, quamvis nonagenarius sua sponte recensuit, & declaravit: & ut uno verbo multa dicam, summa humanitate Vir doctißimus in me nihil promeritum usus fuit. Ad hanc domum confluunt omnes, qui studiorum gratia peregrinantur, tùm propter incredibilem huius viri eruditionem & humanitatem: tum propter Antiquitates & Bibliothecam, ut dixi, omni librorum genere instructißimam, haud aliter, quàm olim Romæ, qui ex Scipionis domo oracula petebant. Hactenus ergò explicata sunt, quæ adolescenti in corpore externo observanda videntur. Transeamus ad internum, quod Rempub. sicut anima hominem, regit, gubernat. tuetur, conservat. Illud autem Magistratum comprehendit, qui est Ecclesiasticus aut secularis. Ad Ecclesiasticum spectat Summus Pontifex, cui data*

Corpus internũ, quod Magistratum continet.

Magistratus duplex.

Ecclesiasticus.

ta est universalis potestas de hominum peccatis cognoscendi. Hunc sequuntur Cardinales, qui sunt Ecclesiæ Patres: quibus proximi sunt Episcopi, Abbates, Præpositi, Canonici & reliqui sacris initiati. Hic duo sunt consideranda: Iurisdictio spiritualis, & eorum vivendi ratio. Iurisdictio Diœceses & multa singularia continet, quæ quoniam infinita sunt, pro temporis & loci ratione per se observabit adolescens. Vita autem Religionem, cultum divinum, pietatem in Deum & homines complectitur. Huc itaq; referenda sunt exempla virtutum & vitiorum. Quid ego hac in re Romæ anno Sancto animadverterim, tribus verbis explanabo. Omissa Religione, cujus verissimi cultores Ecclesiæ Patres in omni virtutum genere se subindè strenuè exercent, illud & laude & admiratione dignum videtur, quod in loco (quem Itali La Trinità di pellegrini vocant) omnes, qui Romam devotionis caussa peregrinationem instituerant, hospitio suscepti, triduò humanissimè tractabantur: quorum pedes

Pietatis exemplũ in peregrinos.

quidam

quidam Cardinales lavabant: quidam cibum & potum adportabant: quidam mensæ stantes inserviebant: plurimi deniq; erga abeuntes munificentiam suam exercebant. Quanta in Ecclesiæ Patribus videatur eruditio, humanitas, prudentia, sobrietas, continentia, totiusq́; vitæ integritas & sanctimonia, satis, ut puto, tuæ Celsitati Illustrißimæ constare potuit ex vita Cardinalis Ludovici Matrucii, optimi sanè & moderatißimi Principis, qui me in suorum numero Parentis tui Serenißimi & omnium præstantißimi Principis autoritate & commendatione motus, humanißimè habuit, & adhuc promptus haberet, nisi debilitate corporis Roma pulsus fuissem. Quot prætereà reliquarum virtutum pulcherrima specimina Romæ reperiantur, non improbi, qui neglecta pietate ea solùm inquirunt, quæ ad malitiam & animorum perturbationem pertinent, sed boni apertè & ingenuè, & absque omni fuco, seu adulandi specie fatebuntur. Magistratus Politicus constat aut Aristocratia, aut Democratia,

Cardinalis Matrucius.

Politiæ tres species.

aut

aut Monarchia. Democratia apud Helvetios eſt, qui tanquàm olim Athenienſes, ſeu Lacædemones ſenatoria authoritate reguntur. Helvetiorũ Democratia.

Aliter in Imperio vivitur, ubi ſumma rerum poteſtas eſt penes Imperatorem, quem ideò ſummum Monarcham uno omnium conſenſu nominare ſolemus. Monarchia Imperii.

Huc pertinent comitia, conventus Provinciales, Iurisdictio ſeu territorium cujusq; Magiſtratus, Iura, Leges, Statuta, Conſuetudines, Ritus, & Privilegia, quæ quoniam particularia ſunt, diligens adoleſcens per ſe obſervare & perſcrutari debebit. Politiæ adjuncta

Notabit etiam ſubditorum, qui ex altera parte Rempublicam conſtituunt, vitam, pietatem, mores, divitias, ſtudia, quibus ea parantur, quæ ad corporis conſervationem requiruntur. Subditi.

Quicquid divitiarum Italiæ Civitates poſsident, id Mercaturæ beneficio obtinent. Aliter Germania, quæ præcipuè vel ex frumento, vino, & reliquarum rerum frugalitate, nec non metallo ea quærit, quæ ob vitæ neceſsitatem expetuntur. Iam igitur colophonis Diverſarum Regionum commoda.

Epilogus Paræneſin complectens.

loco, qua ratione ſe in ſtudiis, & apud exteros gerere debeat, adoleſcentem breviſsimè admonendum eſſe cenſeo. Meo autem judicio imitabitur Ciceronis prudentiam, qui filium ſuum ad Cratippum Athenas ablegavit, ut non ſolum audiret ſummum in Philoſophia virum & ſapientem, ſed etiam urbis authoritate & exemplis commotus, cum eruditione rerum experientiam conjungeret. Nec certè Mercatores, qui magni lucri gratia longiſsimas profectiones inſtituunt, parva aut obſcura oppida adeunt, ſed vel ſe Venetias, Antverpiam, Alexandriam, Florentiam, vel ad alia celeberrima orbis Emporia conferunt.

Emporiæ.

Pietas.

Porrò & primùm omnium Deum optimum maximum, qui omnium bonorum origo eſt, timebit, quem etiam unicè colere & diligere debebit.

Studiorum alacritas.

Studiis verò ſuis, quorum gratia peregrinatur, diligenter invigilet, ſeq́; in labore, patientiaq́; & animi & corporis ita exerceat, ut illius aliquando in Reipublicæ negociis vigeat induſtria. Natu Majores vereatur, ex quibus etiam de-

ligat optimos & probatißimos, quorum consilio atque authoritate nitatur. Et cum juventutis inscitia senum regenda sit prudentia, faciat sicut apud Ciceronem Lælius, qui à patre Scævolæ traditus, à senis latere nunquàm discesserat. Si verò cum aliis aut animi recreandi gratia versari, aut convivio, seu Symposio cuidam honesto interesse voluerit, parcè admodùm loquatur, caveat intemperantiam, meminerit verecundiæ, quæ si in adolescente non sit, facilè patet janua in deterrima vitia & turpitudinem prolabendi. Absit in familiari congressu sermonis pertinacia et amarulentia, maximè verò irrisio, quæ est amicitiæ dissolutio, animorumq́ perniciosa perturbatio. Aversetur ebrietatem & Venerem: fugiat pravorum hominum consortia: nec affectus præsint, sed ratione regantur. Habeat curã valetudinis, quam conservabit facilius, si diætam in cibo & potu habuerit, nec propè flumina, vel in locis meridiem, sed Boream spectantib. habitaverit. Quantum enim conducat harum rerum ob-

Verecundia.

Irrisio.

Temperantia.

Cura valetudinis

Marsilius Ficinus. servatio, tradidit Marsilius Ficinus, qui de studiosorum diæta scripsit. Quis igitur dubitet adolescentem, si hæc sedulò faciat, clarißima & maxima profectionis & laboris sui præmia consecuturum? At quos apud Rempub. honores & laudes mereatur, quam lætitiam ex illo consequantur parentes & amici, illi experti sunt, qui peregrè profecti, in hunc modum vixerunt. Habes à me, Illustrißime atq; Reverendißime Princeps, munus, seu præcepta quædam de Arte Apodemica, non quidem oratorio more, sed pro ingenii tenuitate & in meam, & aliorum utilitatem conscripta, quæ si tibi grata & accepta fore cognovero, mihi animus ad majora & ea studia, quibus me multoties paupertas, seu fortunæ injuria eripuit, multò alacrior reddetur, meq; nullius laboris aut periculi unquam pœnitebit, quod mihi adhuc sustinendum seu subeundũ erit. Ego verò quantum debeam Serenißi: Principi Parenti tuo, Domino & Mecœnati meo Clementißimo, tuæq; Celsitudini illustrißimæ, & toti Domui Bavariæ,

satis

ſatis quidem intelligo, quid autẽ adhuc præſtare poßim, non video. Hoc tamen tibi, Illuſtrißime Princeps, certò perſuadeas velim, me omnem operam & ſtudium in eo collocare, nihilq́ magis nocte dieq́ meditari, quàm ut aliquando veræ gratitudinis argumentum erga Domum Bavariæ edere poßim. Cujus voti ut compos fiam, faxit Deus optimus maximus, quem ut parentem tuum Serenißimum Principem, Tuamq́ Celſitudinem Illuſtrißimam, una cum tota Serenißima Bavariæ familia diu conſervet incolumem, etiam atq; etiam vehementer oro.

FINIS.

DE PERE-
GRINATIONE
ET AGRO NE-
APOLITANO,

Libri II.

Scripti ab Hieronymo Turlero.

Omnibus peregrinantibus
utiles ac necessarii.

BONONIÆ I. AB VRBE LAPIDE IN VILLA M. Antonii de lavolta Patritii, extra portam Marſcharellam, hoc monumentum conſpicitur.

Ælia Lælia Crispis nec
vir, nec mulier,
Nec Androgina, nec puella nec juvenis
Nec anus, nec caſta, nec meretrix, nec
pudica, Sed omnia.
Sublata neq; fame neq; ferro, neq; veneno ſed omnibus.
Nec cælo, nec aquis, nec terris, ſed ubiq; jacet.
Lucius Agatho Priscius
nec maritus, nec amator.
Nec neceſſar: neq; mœrens neque gaudens,
Neq; flens, hanc nec molem nec pyramidem
Nec ſepulcrum. Sed omnia.
Scit & neſcit cui poſuerit.

LIBER I.

De definitione peregrinationis, cui propositio inserta est.

CAPVT I.

DIctio peregrini in lingua Latina, aliis temporibus significationẽ aliam habuit. Nam, ut autor est Varro et Festus Pomponius, hostem veteres peregrinum appellabant, & eum, qui nunc hostis dicitur, perduellem: qua quidem in significatione in Legibus duodecim tabularum scriptum erat: SI STATVS dies cum hoste sit, veniendum esse. Sed hoc nomen à peregrinis recessit, & in eo qui adversarius esset, aut arma contra ferret, remansit tam diu, donec Romani peregrinos vocarent eos qui Ius civitatis Romanæ non habebant: ut quia Latinæ conditionis fortasse, aut prorsus alienigenæ essent: & in hac significatione hodie adhuc usurpatur. Ita peregrinari, à verbo peragrare descendit, quod in agris peregrinis ac alienis versari, vel per loca tam incognita quàm cognita, extra patriam vel civitatem suam vagari si-

gnificat. Quod ex Plauto intelligere possumus, cum ait: Peregrinus ego sum, hoc est, ex aliena terra oriundus, Sauriam non novi &c. Et ex Cicerone, Qui cives potiores sunt, inquit, quã peregrini: propinqui quàm alieni, hoc est, quàm ii qui aliunde huc venerunt. Hinc etiã peregrinas arbores et aves dicimus, quod aut aliunde ad nos allatæ, aut apud nos ante hac nunq̃ visæ sunt. Item pegrina sacra, quæ vel ex aliis locis religionis causa ad nos sunt adscita, vel quæ nõ consueto à nobis more, sed peregrino, paguntur. Sic Almæ & magnæ matris (cui & Cybalæ ac Rheæ, et quàm plurima alia nomina indita fuerunt) item Cereris & Æsculapii sacra, à Romanis peregrina dici poterant, quod vel ex Phrygia, Græcia et Epidauro adscita essent: vel quod eodem planè modo quo in iis locis, Romæ quoq; peragerentur. Præterea in jure Civili peregrini Prætoris, et in Iure Pontificio peregrinorum judiciorum mentio fit. In Codice vero Iustinianeo, peregrinus aliquando pro eo accipitur, qui deportatus est, aliquando pro eo qui oberrat,

rat,

rat, nec certum aliquem locum habet, in quo commoretur, ne quid omittamus quod ad præsentis vocabuli significationem pertinet. His igitur præmißis, vetus quæstio est: Plus ne emolumenti an detrimenti adferat hominibus peregrinatio? *Quod cum in fortuna magis quàm in nostra voluntate positũ sit, frustra videri poterat quæstionem hanc movere. Sed res aliter se habet. Nã qui peregrinantur, non oẽs utiq; ignavi ocii causa alienis terris se cõmittunt, ut fortunæ ludibrio ferantur: sed movent eos interdum justæ causæ, & certus finis propter quẽ peregrinationes suas suscipiunt. Distinguendum igitur est hoc genus peregrinationis, quod certum finem habet sibi propositum, ab eo quod ocii causa suscipitur. Quanq̃ huic nomen ocii non recte tribuitur, cum aut exiguam admodum, ac fine omni carentẽ, voluptatẽ conjunctam habeat. Nam vera voluptas ꝓpter finem aliquẽ expetitur, et ubi finis nullus est, ibi ne voluptas quidẽ adesse potest: Labor autẽ omni peregrinationi inest, qui otio opponitur, et ad virtu-*

tem, non ad vitia tendit, ut, ſi recte rem perpendere volumus : Peregrinatio nihil aliud ſit, quàm labor inviſendi & perluſtrandi alienas terras, non a quibusvis, nec temere, ſed ab idoneis ſuſcipiendus, ut vel artem, quam addiſcere vel exercere cupiunt, probe tandem calleant, vel ea, quorum uſus aliquis in communi vita eſt, apud exteros videant, diſcant, & diligenter obſervent, iisque ſibi, ſuis, & patriæ, ſi opus ſit, prodeſſe poſsint. *Hanc definitionem ſi quis perpendat, non difficulter reſpondebit ad quæſtionem propoſitam. Nam non ſolum ab ignavo otio peregrinationem discernit, dum laborem loco generis ponit, ſed alia multa complectitur, per quæ* θέσεις *ac* ὑποθέσεις *apud Rhetores & Dialecticos tractari ſolent, & quæ totum illud nobis explicant, quod ad præſentem quæſtionem attinet. Cum autem non omnis labor in peregrinationem inſumatur, dico eam eſſe laborem inviſendi ac perluſtrandi : & addo alienas ter-*

ras,

ras, ut eam distinguam à brevibus itineribus, quæ vel animi causa & in patria, à quovis fieri solent. Verum videamus ordine de aliis.

Quinam apti sint ad peregrinandum vel non, & de causis peregrinationis.

CAPUT II.

N*Atura dictat, infantes, senes & eos qui infirmo corpore sunt, ad peregrinandum minus idoneos esse. Quanquam enim sæpè accidit iniquitate fortunæ, aut publica calamitate urgente, ut ejus etiam ætatis homines peregrinari cogantur: tamen inepti sunt ad eam rem, nec illos labores perferre possunt, qui peregrinantibus se offerunt. Sicut Iacob Esauo fratri occurrens, se à peregrinatione excusat propter tenellos liberos, qui si uno die defatigarentur, viæ longioris molestia, morituri essent. De senibus vero, quod illi ad iter faciendum minimè idonei sint, res explorata est: cum senectus ipsa satis sibi oneris existimetur. Quod Poëtam innuere voluisse constat*

libro quarto Tristium, Elegia octava. Et de quodam annis oppresso præclarè cecinit Homerus:

Τοιούτῳ δὲ ἔοικας ἐπεὶ λούσαιτο φάγοιτε
Εὐδέμεναι μαλακῶς, ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ
γερόντων.

Est quoq; in sexu aliquod discrimen, ratione decori et publicæ honestatis. Verum id ubiq; locorum non observatur. Nam Batavorum mulieres, & eorum, qui Selandiæ insulas inhabitant, non domi solum mercaturam diligentius exercent quàm mares, sed et remotißima orbis terrarum loca accedunt, mercium comparandarum causa: Nec illis ea res vitio datur, maxime apud suos. In aliis Europæ nostræ regionibus eadem consuetudo non observatur, sicut nec apud veteres in usu fuit: Quod ex Medea apparet: quæ cum arcem conscendisset Corinthi, et matronis, quæ arci ac templo præerant, conaretur persuadere, ne qd mali suspicarentur, quod tam diu abfuisset à patria, quando multi etiam extra patriam rem suam bene geßissent, nullum ab illis responsum tulit, ut intelligeret

longam peregrinationem fœminarũ suspectam esse, & signum impudicitiæ præ se ferre. Hinc quoq; Tragici & Comici Poëtæ peregrinam mulierem frequenter impudicam fingunt. Sic inepti sunt ad peregrinandum insani ac furiosi. Quia enim judicio mentis destituuntur, censentur etiam inidonei ad omnia civilia negotia tractanda. Sunt deniq; alia, propter quæ multi impediuntur peregrinari, quibus omnibus qui carent, non prohibentur onus hoc suscipere maximè in ætate juvenili aut virili. Nam hæ ætates non modo laboribus perferendis aptæ sunt, sed ea quæ tum temporis videmus, audimus, discimus, citius infiguntur memoriæ & tenacius inhærent. Quod cum ita sit, mirum videri poterat, Platonem summum virum et acutißimum rerum omnium indagatorem, illum vitæ humanæ periodũ, quæ ab anno quinquagesimo ætatis, ad sexagesimum usq; protenditur, peregrinationi destinasse. Nam cum eo tempore robur omne corporis languescere incipiat, & natura sit in decremento, ridiculũ videbatur ætati

infirmæ & ad mortem properanti, juveniles labores demandare, ac ut dici ſolet, malo calamitatem addere. Sed ego Platonem rectè ſenſiſſe arbitror. Non enim alios ætate juniores prohibet, quo minus ipſi quoq; peregrinentur: quandoquidem fieri non poteſt quin homines ultro citroq́; commeent, quod & ipſe aſſerit. Ideoq; eos quibus otium conceditur, & qui aliorum hominum res atque mores videre cupiunt, non vult lege ulla prohiberi ne hoc faciant: quod civitas ſolitaria, & quæ quid boni aut mali ſit apud exteras gentes, ignorat, à perfectione longe abſit. Quod autem eam quoq; periodum peregrinationi concedit, ideo fit, quod illam tum temporis propter morum & disciplinæ indagationem in primis vult inſtitui. Cum enim ea ætate judicium humanum exactiſsimum ſit, melius discernit omnia quàm in juventute vel ſenectute, quarum altera ad vitia magis quàm ad virtutem propenſa eſt, & à ſenſibus regitur, altera memoria carere incipit, & ſenſuum judicio rectè uti non poteſt. Et quanquam

ne eos quidem prohibet, qui in ætate juvenili peregrinantur, quo minus ipsi quoq; morum ac disciplinæ rationem aliquam habeant: tamen quia illa ætas judicio infirmo prædita est, grandioris ætatis hominibus illarum rerum curam demandat, non tam privati, quàm publici commodi causa. Nam domum reversos jubet diligenter senatui explicare, quid vel in legibus, vel educatione, aut disciplina egregium & memorabile viderint apud exteros, ut si hoc ipsum approbetur, recipiatur in rempub. Vt autem varia impedimento esse possunt, ne quis peregrinetur, etiamsi maxime cupiat: ita quoq; variæ ac diversæ causæ possunt esse, ut quis peregrinationem suscipiat, & quidem eæ aliquando, de quibus nunquam antea cogitavit. Quidam enim natura impelluntur ad peregrinandum, vel oberrandum potius Cyllenii more, ut hi qui in genesi sua Lunam cum Mercurio in nono loco figuræ habent, maximè in signo mobili, aut simile aliquod indicium hujus rei: alii consuetudine hanc naturam sibi pari-

unt. Rurſum alii quæſtus cauſa peregrinantur, ut opifices: alii cauſa virtutis, ut illi qui bonarum artium ſtudia ſectantur: quanquam his quoq; quæſtus aliquis ſuo tempere accedit. Eſt autem quæſtus duplex, unus honeſtus, qui virtuti & honoribus conjunctus eſt, et qualem ſectatores optimarum diſciplinarũ percipiunt. Item milites ſtipendiis ſuis contenti, ut Iohannes inquit: ac mercatores ſi non ratione mala lucello inhiant: alius inhoneſtus qui cum natura aut virtute pugnat, qualem iſti ſentiunt qui rapinis ac latrociniis ſtudent, & qui ſacramenti militaris obliti, ne amicorum quidem bonis parcunt. Præterea is quæſtus, qui in odium hominum incurrit, ut fœneratorum & aliorum qui per fas atq; nefas opes ſuas cumulant, tanta cupiditate et avaritia, ut, quod Poëta ait, pauperiem fugientes vel extremos Indos accedant, nec quicquam intentatum relinquant, modo lucrum aliquod inde percipere poßint. Quæ quidem res Ciceronem opinor movit, ut artes ſordidas ab aliis diſtingueret, & putaret nihil utile

esse quod non etiam honestum sit. In primis verò perpendendum est, in quem finē instituetur peregrinatio. Cum enim omnia fiant propter finem, frustra suscipitur illa, nisi quoq; ad certum aliquē finem tendat. Sed, ut Philosophi distinguunt, finium alii congruentes sunt vel legitimi: alii non congruentes vel aberrantes. Præterea congruentium alius principalis & ultimus dicitur, quem cū assecuti sumus acquiescimus, nec expetimus alium: alius minus principalis vel medius, qui rursum distinguitur in subordinatum, et non subordinatum, sed quoquo modo concurrentē. Consideretur igitur hæc finium diversitas, et alii ab aliis discernantur, quia magnā utilitatem habet hæc consideratio. Non n. natura tantū postulat ut id faciamus, verum etiam utilitas & diligentia, quæ in oībus reb. peragendis requiritur. Nam utilior est finis principalis quā alii, deinde plus laboris requiritur ad eum consequendum q̃ in cæteris. Sic utilius est ac plus opæ requirit, ut in Italiā ꝓficiscens, cognitione Iuris aut Medicinæ instru-

ctissi-

ctißimus revertaris domum, quàm ut sciás quo modo Rempub. suam gubernent Veneti, aut quid Romæ agatur diebus Saturnaliis. Narrat elegantem historiam Fridericus Furius Cœriolanus, quem ego familiarem habui Lovanii, in quodam libello suo, quæ cum idem doceat quod nos hoc in loco, non gravabor illam recitare. Quidam Neapolitanus petebat à cognato suo viro Principe, in cuius tutela erat, ut sibi liceret invisere peregrinas regiones, cui cognatus promittebat illud se ei concessurum, si primùm Romam in vicinia positam, proficisceretur, & ibi aliquantisper degeret. Iuvenis itaque mandato obtemperans, quod jussus erat, facit, postea domũ redit & cognatum de longiore peregrinatione sollicitat. Vbi cum cognatus videret illum ex peregrinatione nihil utilitatis percepisse, respondet: Filii, vidisti prata, planicies, montes, valles, agros, sylvas, nemora, campos: fontes, flumina, arbores, dumeta, pagos, castella, civitates, animalia, thermas, circos, amphitheatra, templa, palatia, columnas, statuas, ædifi-

ædificia, ruinas, turres, colossos, arcus triumphales, nymphæa, pyramides, Academias, hortos, aquæductus, homines probos & nequam, divites ac pauperes, doctos ac indoctos, & quicquid unquam in orbe terrarum invenitur: domi igitur te jam contine posthac, & quieti da. Ita vir prudentissimus breviter dicebat, quicquid dici poterat in tali re, & perlustrandi mundi regulam acutè præscribebat, qua abusum peregrinationis reprehenderet. Potest tamen aliquis uno eodemq; labore plures fines consequi. Veluti ex peregrinatione in Italiã, cognitionem Iuris aut Medicinæ, & simul etiam notitiam gubernationis Reipub. Venetæ. Quod ubi accidit, certum est utilitatem quoq;, quæ inde percipitur, majorem esse oportere. Danda autem opera est, ut honesta sit utilitas, quæ ex peregrinatione capitur. Non frustra enim hæc duo à sapientibus hominibus conjunguntur, & sæpè peccatur in rebus publicis specie utilitatis. Honesti verò ea vis est, ut speciem utilitatis servet. Qui itaq; honestatem ab utilitate separant,

non

non ſemper conſequuntur verum finem, nec eam utilitatem percipiunt, quam percipere debebant. Sed eſt omnino conſiderandum in actionibus humanis, in quem finem & propter quam utilitatem quid agatur, tum verò maximè in peregrinatione. Qui alia peregrinandi ratione utitur, tempus inutiliter perdit, opes ſuas fruſtra conſumit, corporis valetudini nocet, et vitæ ſuæ ſalutem, ſine ſuo vel alterius commodo, mille periculis objicit.

Quomodo peregrinari oporteat, & de effectu ac utilitate peregrinationis.

CAPVT III.

F*Ine peregrinationis conſtituto, & ſpe magnæ utilitatis concepta, ita quis ſe componat oportet, ut ante omnia curam habeat ſalutis ſuæ, ſive de anima loquamur, ſive de corpore. Qui enim id non facit, ſed totus ex fortuna pendet, ille Deum ſibi infeſtum reddit, conſcientiam lædit, & mille inſidiis ſe exponit. Iam enim feneſtram aperuit infinitis malis,*

& cam-

& campum peccandi spaciosissimum habet. Qui vero se tutelæ Dei committit, protectione illius juvatur, inquit Psaltes. Et quanquam ei multa mala & pericula se offerant: nihil tamen ab illis commovebitur. Injiciet quoq; frenũ cupiditatibus suis: cumq; optima ratio evitandi peccata sit, occasionẽ peccandi vitare, diligentem operam navabit ea in re, & prudentia sua multa impendentia mala evertet. Sic Tobias filium suum in Rages ablegaturus, hortatur ut ante omnia Deũ timeat, tanq̃ ducem itineris & omnium consiliorũ suorum. Fingunt Poëtæ Æneam à Venere, & alios ab aliis diis nube tectos, cæterorum hominũ conspectum & pericula multa effugisse, ut indicarent ab omnibus periculis tutos esse eos, qui divini numinis potentia proteguntur. Quod idem quoq; sacræ literæ testantur variis in locis, cũ ajunt, ibant & dominus erat cum illis: Item, dominus novit iter tuum, et habitavit tecũ. Dominus Deus tuus et nihil tibi defuit. Proximum autem est, ut corporis habeat rationem, hoc est, ut illud sanum

ac incolume ſervet. Quod quomodo fieri poßit, Medicorũ præceptiones docent, & quantum ego intelligo, in debito uſu ſex rerum non naturalium, ut vocant, conſiſtit, nimirum aëris, cibi ac potus, repletionis & evacuationis, exercitii ſeu motus & quietis, ſomni ac vigiliæ, deniq; accidentium vel motionis animi. Nam qui infirmo corpore præditus eſt, non poteſt recte vacare iis rebus, propter quas peregrinationem ſuſcepit. Ac eſt illi quidẽ diligentior cura habenda hujus rei, quod mutatio aëris, victus ac conſuetudinis, facile aliquid morbi ſecum adferat, etiamſi itineris labores ac moleſtiæ, huic malo cauſam nullam præbeant. Sed ſunt duo alia præterea peregrinanti perpendenda, nimirum ut aliorum morib. ſe accommodet, & res ſuas quanta poteſt diligentia obſervet: quorum alterum admodum difficile factu eſt ei, qui ſuæmet vitæ modum non habet, alterum judicium magis quàm voluntatem requirit. Sed tamen utrunq; facias neceſſum eſt, ſi rebus tuis rectè conſultum velis. Nam qui apud exte-

ras gentes ſuo more vivere ſtudent, ludibrio ſe exponunt aliis, & quos ipſi habent mores barbaros & corruptos, nunquam corrigunt, etiamſi infinita exempla virtutum indies videant. Suarum vero rerum jacturam facilè quis facit, qui eas negligenter adminiſtrat. Aliter enim vivitur domi, aliter peregrè, & ſunt aliæ nationes ad decipiendum procliviores aliis, id quod multi ſuo maximo malo experiuntur. Quare cautè eſt vivendum apud exteros, & cavendum ne eos in re aliqua offendas, memor proverbii Græci νόμος καὶ χώρα: & tamen res tuas ſimul non negligas, ſemper habita ratione honeſtatis. Extat apud Clementem Alexandrinum verſus Heracliti,

πολλὰ πλανηθῆναι διζήμενον ἔμμεναι
    ἐσθλὴ:

In quo Clemens ait proponi exemplum vitæ Philoſophicæ, dum ait, multas nationes inſpiciendas inquiſitionis cauſa, non tamen imitandi alienæ gentis vitia, hoc eſt, monet ſuſcipiendas peregrinati-

ones discendi causa, salva morum integritate. Etsi enim regiones aliquæ quandam habent luxuriæ suspicionem: non tamen illas nunquam vidisse, sed continenter in iisdem vixisse, laudi ac gloriæ datur. Nō ergo relinquamus nostræ turpitudinis in alienis regionibus vestigium, neq; in iis suscipiamus, ac in nostras terras reportemus flagitium aliquod, sed studeamus virtuti, & colamus pietatem ubivis locorum atque gentium. Quod qui facit auxilio Dei fretus, non modo Scyllas & Charybdes effugiet, ac dulcißimos Syrenum cantus aspernabitur: sed ut peritus quispiam nauclerus, in amplißimo pelago constitutus, quantum fieri potest, syrtes omnes scopulosq; evitabit. Illud quoq; studiosè cavendum est peregrinanti, ne scilicet iis rebus careat quibus maximè indiget. Eas Dialectici destinata appellant: ut studiorum destinata sunt libri, præceptores: militiæ, arma, equi, duces, ac si quæ alia sunt ejus generis. Quemadmodū igitur miles non potest carere armis, si finem sibi destinatum consequi velit: ita nec studiosus libris, ac alii aliis rebus indigent pro sta-

tus sui & conditionis varietate. Deniq; in eo elaborandũ est, ut recta via & ordine ad finem tibi propositum contendas, vitatis ambagibus. Sic enim minus laboris insumetur, et maturius omnia peragentur. Ac habet ea res tantum momenti in universis hominum actionibus: ut nisi recto justoq; ordine in iis utaris, parum agas, et exiguo cum fructu. Itaq; scripserunt nonnulli quomodo in militia versandum sit, & de tota re militari, ut Vegetius: alii docuerunt quo pacto in Iure versari oporteat, vel in Medicina, aut aliis artibus ac disciplinis: ut compendio quodam eas addiscas, et fructum ac utilitatem ex illis capias.

Est autẽ utilitas peregrinationis per universam rerum naturam sparsa, nec ulla pars actionum humanarum reperitur, quæ peregrinatione juvari non possit. Nam ut de sordidis artibus nihil dicam, nonne omnes artes, pro diversitate sua, uno in loco melius exercentur quàm in alio? nonne in hoc illæ, in alio aliæ? Quas si addiscere velis, satius est, ut ipse ea loca adeas, quam ut eas domi discas

ab aliis, qui ne ipsi quidem illas probe didicerunt. Sic in Germania, Italia, Gallia & Hispania ars calcographica excolitur, apud Getas ignoratur. Nec solum remotæ gentes alias artes tractant, verum etiam vicinæ. Vt in Anglia æque in usu est ars calcographica, ac in Germania & Galliis: in Hibernia non item, & tamen Hibernia Angliæ finitima est, & ejusdem Reginæ Imperio paret. Arcu celebres sunt Angli: sed his celebriores Hibernii, & artis natandi peritiores, cursu ac urinatione omnes alias Europæ gentes superant. Quantam utilitatem Architecto adferat peregrinatio, Vitruvius docet, quantam militi Vegetius. Pictori autem vel Statuario quantam, equi Fidiæ & Praxitelis arte fabricati, testantur adhuc Romæ in Quirinali cum aliis coloßis, statuis ac picturis, quas nullus artificum aspicit, qui non idem eas admiretur & inde abeat doctior. Nihil dicam de Mercatura, quæ peregrinatione quodammodo alitur, nec tam honestatis causa exercetur quàm utilitatis ac quæstus: Humani-

tatis ſtudia inſpiciamus, quæ Philoſophiæ nomine comprahenduntur, & reperiemus, illa antiquitus ab Ægyptiis, aliis gentibus perdiſcenda fuiſſe, poſtea in Europam translata, longo tempore in Græcia habuiſſe ſuas ſedes, quà in Italiam migrarunt, & ex hac porrò in alias Europæ noſtræ regiones quaſi in colonias deducta ſunt. Quis autem negat ex Philoſophia utilitatem percipi ſolere, & eam olim in Græcia adeo floruiſſe, ut ſtudio perdiſcendi illius, omnes undiq;, tanquam ad mercaturam quandam in eam regionem proficiſcerentur? id quod Plutarchus indicat, dum ait homines nullos eſſe, niſi mare eſſet, quo in Græciam navigaretur. Iudicabat enim vir gravis ac ſapiens nullos appellandos homines, qui non itidem Philoſophia exculti eſſent, quod ingenium ac cultura animi, homines faciat, non forma aut figura corporis. Sed eſt nunc ea ingeniorum cultura Græciæ adempta unà cum Imperio, & verendum ne aliis quoq;, ad quos liberalium artium doctrinæ propagatæ ſunt, brevi adimatur, ac in locum

illius vetus barbaries succedat quasi postliminio rediens. De historia & Poetarum scriptis nihil attinet admonere. Sunt enim quædam in iis eiusmodi, ut neq; ulla orationis ubertate aut contextu, ita effingi queant, neq; interpretum diligentia ita explicari, quin aspectum potius desiderent. Vt cum apud Vergilium picturarũ mentio fit, quæ ad naturæ similitudinem expressæ essent, quas in templo Didonis considerabat Æneas, quod animi motus, perturbationes, & veras lachrimas in se continere viderentur: ait Poëta, sunt lachrimæ rerum, et mentem mortalia tangunt &c. hoc est, putares verè illacrimare illas imagines aut figuras, & illa picta corpora inter se veluti commiseratione quadam duci ac tangi. Historiæ vero testantur Zeuxin & Parrhasium pictores olim inter se adeo concertasse atq; excelluisse, ut alter illorum aves deceperit pictis uvis: alter linteo picto, eum ipsum qui aves deceperat. Sic etiam Prothogenis & Appellis lineæ inspectionem desiderabant, et Iphigeniam Timantis tantopere commen-

davit

davit Cicero, ut hanc unam ſatis eſſe putarit, unde omnes oratores ac Poëtæ decorum obſervare et affectus exprimere diſcerent. Idem ſentiendum de antiquitate. Quæ enim ὑποτύπωσις poteſt eſſe tam illuſtris, aut quæ interpretatio tam perſpicua ac plana, quam non ſuperet ipſa inſpectio? Atq; ut multò rectius percipiuntur ea, de quibus aliquid legimus obſcurum aut intricatum, ſi veſtigia quædam illarum à nobis conſpiciantur, quam ſi ex labore interpretum et divinatione quadam eadem addiſcamus: ſic non minus grata ac utilis in iis eſt antiquitatis cognitio, quæ vel ſola ingenia honeſta excitare ſolet, & bonarum artium ſtudia alit.

Gloriatur alicubi Cicero reperiſſe ſe ſepulchrum Archimedis Geometræ, ex inſcriptione Sphæræ & cylindri, idq; ait ſe Arpinatibus ſuis monſtraſſe,
vepribus & ſqualore obductum, quod ille diu ante obiiſſet. At non inferiora his, ab aliis paulò ante noſtram ætatem reperta ſunt, & quæ non minus admirari deceat.

Teſtis

Testis est huius rei Raphaël Volaterranus, qui scribit sua tempestate in via Appia prope Romam, effossum cadaver mulieris, oblitum unguento, incorruptũ planè ac capsæ inclusum, quæ marmorea tabula tegeretur. Habuisse autem, ait, inter pedes candelam ardentem, quam idem liquor unguenti nutrivisset, sed eã subito extinctam cum primum tabula semota esset: & addit, plures existimasse, Tulliolæ Ciceronis filiæ corpus fuisse, quam ille unicè dilexerat. Testis item est Nicolai V. Pontificis maximi liberalitas, cuius ætate vixit Cyriacus quidam Anconitanus, mirus antiquitatis indagator, non Italiæ suæ tantum, sed totius propemodum Europæ & bonæ partis Asiæ atq; Africæ, qua è re antiquarii nomen accepit, ac immortalem sui nominis famam reliquit posteris. Scitum illud est, quod interroganti cuidam, ecquid tantum operæ hisce rebus impenderet, respondisse fertur, velle si resuscitare mortuos: rectè judicans multa intercidisse antiquitate temporis, quæ peregrinationis diligentia instaura-

ſtaurari, & per homines literatos ab oblivionis injuria vindicari poſſint. Quid autem quod nullam Coſmographiam, nullam Topographiam haberemus, niſi peregrinationis beneficio ea nobis concederetur? Exiſtimarunt veteres Coſmographi terram ſub æquinoctiali inhabitabilem eſſe, ut eam quoq; orbis partem, quæ extra circulos polares ſe extendit polos verſus. At hoc utrumq; falſum eſſe docent, partim navigationes Luſitanorum, partim illæ regiones quas poli Borealis elevatio convincit extra circulum Arcticũ poſitas, ut eſt Gronlandia & VVillappia, & aliæ inſulæ mari glaciali adjacentes. Nec ſolum ea in re peregrinationes Luſitanorum profuerunt, ſed etiam in aliis rebus. Quod enim veteres ex meridianarum umbrarum differentiis, quoſdam homines Periſcios eſſe, quoſdam Amphiſcios, quoſdam denique Heteroſcios, hoc illi ita ſe habere navigando compererunt, & tribus orbis partibus quartam adjecerunt, Americam ſcilicet, quam ob incompertam ejus magnitudinem, alterum orbem putant,

præter alias insulas antea incognitas. Quo minus admiremur Antipodas vel Antichthonas, hoc est, eos, qui, ut Cicero vertit, adversa nobis vestigia ponunt. Nam Geometrica ratio, inquit Copernicus, docet Americam Indiæ Gangeticæ è diametro opponi: ac simile judicium est de aliis regionibus orbis. Esse autem peregrinationem causam Astronomiæ, nemo dubitat. Nam hac primum omnium diversa polorum elevatio deprehensa est, ex ea varietas horizontium, & ex utraq; discrimina dierum ac noctium. Sed his omißis, ad naturam ipsam et ad graviora studia nos convertamus. Nemo, opinor, negabit investigationem naturæ utilißimam esse, hæc vero nulla alia re magis juvatur quàm peregrinatione. Verbi causa, mala Persica venenum sunt in ea regione nata, è qua nomen acceperunt: in Germania inter bellaria habentur, & secundis mensis cedunt, quod utrunq; peregrinatione constat. Sic nec Cicuta in Germania nata, eam vim habet quam illa quæ in Italia nascitur. Palmam arborem Germania

nostra non novit: Italia fovet, sed sine fructu propemodum: Africa verò adeo ea abundat, ut ex fructibus illius cibum atq; potum præparet. Deniq; alia aliis in locis nascuntur, & nunc magis efficacia sunt, nunc minus, varia inter se & diversa, quarum vires ac proprietates qui ignorat, indignus est nomine Philosophi, nedum Medici, quem nihil latere debet, quod ad rerum, locorum, ac hominum naturas & discrimina pertinet. Quid quod multarũ arborum fructus, ab inventoribus suis appellati sunt apud veteres, hoc est, ab iis, qui arbores illorũ e peregrinis regionib. in suas plantarunt? Vt mala Manliana à Manlio, Matiana à Matio, & Claudiana à Claudio, ut Plinius annotavit, quemadmodum Appiana sive Melapia, quibus idem odor & magnitudo est qui Cotoneorum, quod ea Appius e Claudia gente, in Cotoneam malum primus inseruerit. Pari modo autores suos (inquit Plinius) nobilitaverunt pyra Decumiana, Dobelliana, ac Pompejana cognomento mammosa, & alii fructus innumeri.

Sic L. Vitellius Censor, primus è Syria in Italiam attulit nucem pistaceam, & ex Athenæo ac Plinio scimus, Lucullum Romanorum Imperatorem, posteaquam debellato Mithridate, victoria potitus esset, primum, Cerasum arborem è Cerasunte Ponti municipio in Italiam attulisse, fructumq; illius Cerasum appellasse, licet alii aliter sentiant. Sic deniq; ex eodem Athenæo constat mala Citria Plutarchi avorum memoria nunquam gustata fuisse. Imò ne Plinii quidem & Theophrasti seculis comedebantur frequenter, sed propter odorem tantum grata erant & in deliciis habebantur. Adfert quoq; studio Iuris magnam utilitatem peregrinatio, quod Ius uno in loco diligentius tradatur quàm in alio, & quod quædam in eo hujusmodi sint, ut propter vetustatem, vel non usum, ignorentur ferè, qualia fuerint olim, nisi coràm ea videas. Sic nos lapidem turpitudinis aut cessionis bonorum vidimus Patavii in palatio Prætoris, cujus mentio fit in glossa Iuris Civilis: & multa eius generis annotavit Brissionius in iis

libris,

libris, quos de antiquitatibus Iuris ſcripſit. Magna autem prudentiæ pars eſt, naturam ac mores hominum noſſe, & cum quibus quomodo vivendum ſit.

Qui itaque cum prudentia peregrinatur, & extera regna cum patria ſua confert, præter eum, quem multiplicem hactenus recenſui, hunc quoq; fructum inde feret, quod bona atque mala patriæ ſuæ melius cognoſcet, ſciët quo pacto mali mores abrogandi, et introducendi ſint meliores. Sciet item hoſpitari exteros, hominum mores rectius perſpiciet, & pro ratione negotiorum ſe accommodabit his, quæ conditio temporis ac loci exegerit. Adhæc locorum et temporum occaſiones aut difficultates ſciet, nullus ei falſarum rerum relatione imponet, nec ex judicio aliorum pendebit ipſe. Sunt enim aliqui ſatis importuni ea in re, maximè ſi nemo eos erroris arguat: & ex autoribus etiam reperiuntur nonnulli, qui vel nimio amore patriæ, vel ſtudio illorum ad quos ſcribunt, ita aliqua vel extollunt vel extenuant, ut fidem hiſtoriæ excedant, & of-

ficii ſui prorſus obliviſcantur. Hos igitur omnes nemo tutius reprahendet, quã qui ea, quorum iſti mentionem faciunt, ipſemet vidit. Prodeſt quoq; aliena loca perluſtrare ad conſervationem rei familiaris, nam in augenda illa, alii aliis rationibus ac compendiis utuntur. Ac ſi aliud quicquam eſt, quod conditionis noſtræ nos admoneat, certe peregrinatio id facit, in qua omnes caſus rerum humanarum, et omnia fortunæ ludibria ſeſe offerunt.

De proprietatibus quatuor præcipuarum nationum Europæ; & quo pacto dinoſci queat, an quis cum fructu peregrinatus ſit vel non.

CAPVT IIII.

SEd quoniam in varietatem morum & diverſas hominum naturas incidimus, operæ pretium me facturum arbitror, ſi aliquot nationum proprietates indicavero. Non omnium, quod immenſi laboris eſſet, et ad eos pertinet, qui de ſitu orbis aut variarum gentium vita ac moribus ſcripſerunt, ut Strabo,

Bojemus

Bojemus & alii: sed earum tantum, quas Europa nostra præcipuas habet, puta Germanorum, Gallorum, Italorum & Hispanorum. Differunt enim hæ gentes inter se multis modis, ut gestu, incessu, voce, cantu, oratione, consiliis, humanitate, conversatione, amore, odio, negotiis, militia, ac aliis rebus. Vt igitur dicam id quod res est, Germanus habet gestum gladiatorium, incessum gallinaceum, vultum effrenem, vocem virilem, mores agrestes, habitum varium, nec tamen satis exquisitum. Gallus gestum mollem, incessum moderatum, vultum blandum, vocem dulcisonam, sermonem facilem, mores modestos, habitum luxuriosum. Italus incessum tardiusculum, gestum gravem, vultum inconstantem, vocem remissam, captiosum sermonem, mores magnificos, habitum compositum. Hispanus ingressum, moresgestusq́; festivos, vultum elatum, vocem flexibilem, sermonē elegantem, habitum exquisitum. Germani in cantu ululant, exceptis Belgis, qui soli canunt, Galli modulantur, Hispani gemūt, Itali balant.

Duri sunt Germani in oratione & simplices, Galli promti et superbi, Hispani culti & jactabundi, Itali graves ac versuti. In consiliis Germani utiles, Galli inconsiderati, Hispani versipelles, Itali mundi habentur. Erga exteros Germani agrestes & inhospitales, Galli mites, Hispani blandi, Itali officiosi.

In conversatione sunt Germani imperiosi ac intolerabiles, Galli mansueti, Hispani cauti, Itali prudentes. In amore Germani ambitiosi, Galli leves, Hispani impatientes, Itali zelotypi. In odiis Germani ultores, Galli minaces, Hispani pertinaces, Itali occulti. In negotiis Germani laboriosi, Galli solliciti, Hispani vigiles, Itali circumspecti. Insignes sunt Germani religione, & mechanicis artibus; Galli civilitate, Hispani navigatione, Itali literatura. Ad summam ne de singulis agam, Itali & Hispani ante factum sapiunt, Galli in facto, Germani post factum. Est etiam inter has nationes magnum discrimen in amore erga fœminas. Nam

Gallus amat celerem, pede non remorante puellam,

Quæ lenis eſt certis, ac ſatis apta modis.
Hiſpano magis illa placet, cui forma benigna eſt,
Cui Venus ex oculis ſemper amica videt.
Italus aſt timidæ lætatur amore puellæ,
Dulcia quæ Veneris prælia ſæpè fugit.
Virgo ſed audaci quæ provocat ore magiſtrum,
Illa eſt Germano dulcis amica viro.

Vt autem hæc de maſculis rectè dicuntur multorum judicio, ſic quoq; fœminis eorundem peculiare quiddam ineſt, quo inter ſe differunt, ſive de ſtatura ac forma corporis, geſtu, alacritate, inceſſu, diverſis ſtudiis, amoribus, fide erga maritos, diligentia erga liberos, humanitate erga omnes, ſive deniq; de ingeniis ac prudentia illarum loquamur. Nam Italorum fœminæ, frequenter bonis literis operam navant, maximè illuſtri loco genitæ, Hiſpanorum non item, Gallorum magis ſtudent addiſcendis linguis peregrinis quàm literis, Germanorum vero fœminæ vix aliam linguam norunt, præter eam, quam imbiberunt a nutricibus, multò rarius bonas literas. Sic in veſtitu ac inceſſu Hiſpanorum

mulieres superbæ sunt, Italorum graves & cultæ, Gallorum leves, Germanorum variæ & ineptæ. Loquor autem hic de Germania superiore, nam Belgarū fœminæ cultiores sunt, incessu graviores, & magis deditæ perdiscendis linguis peregrinis, quàm cæterarum gentium omnes, propter mercaturam, quæ apud illos admodum floret, cum Angliam, Scotiam, Gallias, & Germaniam superiorem vicinam habeant, & Hispaniæ Regis imperio gubernentur. Ingeniosissimæ sunt fœminæ Italicæ, Hispanicæ obtusum ingenium habent bona ex parte, Gallicanæ natura potius simplices sunt, quàm consuetudine, Germanæ vero animi sui aciem in curam rei familiaris magis quàm in alias res dirigunt. Nimio pigmento utuntur in ornanda facie Hispanicæ, minore aliquanto Italicæ, exiguo Gallicanæ, Germanicæ, antequam nubant, tantum faciem pingunt, nec tamen omnes, ut amatoribus suis fucum faciant. De pudicitia verò singularum aliorum judicium sit. Inest præterea singulis his nationibus, ac aliis

omni-

omnibus discrimen quoddam in iis rebus, quas antea attigimus, & quibus ipsæ ab aliis nationibus discernuntur, id quod ad judicium formandum plurimum conducit. Vt Itali natione sunt, Ligures, Hetrusci, Vmbri, Latini, Campani, Lucani, Calabri, Salentini, Apuli, Samnites, Piceni, Flamminii, Emilii, Longobardi, Veneti, Foroliviensses, Istrii: & tamen isti non sermone, dialecto, aut pronunciatione tantum, inter se differunt, sed & moribus & multis aliis rebus. Id quàm verum sit Fortianæ quæstiones docent, quibus si quis eum libellum adjunxerit, quem Landus quidam Hortensius suppresso nomine edidit in lucem, poterit cum fructu & honore inter Italos versari.

Ostendi hactenus causas & effectum peregrinationis, ac indicavi discrimen inter præcipuas nationes Europæ nostræ. Nunc addam quomodo dinosci queat, an quis cum fructu peregrinatus sit, an vero non? Et quanquam difficile sit de singulis censuram ferre, alii enim alia de causa peregrinantur, & aliis artibus

student:

ſtudent: tamen ſi quis ea diligenter perpendat, quæ ad ſingularum artium cognitionem pertinent, poterit id non ex obſcuris argumentis percipere. Nã, quemadmodum nemo credit artis medicæ peritum eſſe eum, qui herbarum cognitionem nullam habet: aut inſignem Architectum, qui ſtatuam Doricam à Corinthiaca diſcernere nequit: ſic nec ille cenſetur tempus operasq; ſuas benè collocaſſe, quas peregrinando inſumſit, qui ea quæ prius noſſe debebat, peregrinatione ſua non adjuvit & auxit. Exempli gratia, ſi quis homo politicus ſit, & Conſiliarium agat apud Principem quendam, vel in Republica, ac in Galliis dicat ſe aliquantiſper vixiſſe: quæratur ex eo quot miliaria Gallia aut Hiſpania in longitudine vel latitudine contineat? Quas habeat munitiones? Vbi nam aditu facilis aut difficilis ſit? Quot flumina non vadoſa habeat? Quæ præcipua virtus Hiſpanorũ? quæ item Gallorum? Quod maximum vitium in utraq; gente? Quibus rebus potiſsimum delectentur hi vel illi? In quo nobiles

Galliæ

Galliæ ab Hiſpaniæ nobilibus differant? in quo item vulgus discrepet, & quæ illius ſint ſtudia, qui mores? Quod discrimen inter ædificia harum gentium? Vter Regum in utroque regno majore potentia polleat? Quomodo ſubditi in illis regnis principi ſuo vel obediant vel ſe opponant? Quam diſsimilitudinem habeat ſervitus Gallorum à ſervitute Hiſpanica? Quo pacto in his regnis annonæ caritas evitetur? Quæ ratio aulæ in utroq; regno, & quomodo proſpiciatur agricolis, ne belli temporibus damno afficiantur. Si igitur ad hæc aptè reſponderit, benè res ſe habet: ſin minus, magnū indicium eſt eum aliis rebus incubuiſſe, quàm ut iſta peregrinando cognoſceret, quæ virum politicum, aut conſiliarium noſſe conveniebat, etiamſi ſciat quibus generibus ſaltandi utantur vel Galli vel Hiſpani. Nam ea potiſsimum obſervanda ſunt, quæ ad finem principalem tendunt, non leviora, aut ad finem non ordinatum tendentia, licet etiam illorum uſus aliquis eſſe poſsit aliis in rebus. Denique ut paucis multa complectar,
certiſ-

certißima regula est cognoscendi, an quis utilitatem aliquam ex peregrinatione sua retulerit: si præter ea, quæ toto hoc capite exposui, observes quid ille in colloquio familiari de his terris judicet, quas peregrinando perlustravit. Nā qui de exterarum regionum dignitate, temere aliquid detrahit, & patriam suam sine gravi causa locis aliis præfert: is vel affectibus indulget, vel rudis aut stultus est, nec ut oportet res discernit. Vbi verò distinctio deest, ibi quoq; electio: & ubi hæc abest, prudentia simul abest, cum qua reliqua deinde omnia corruunt, & nullius momenti sunt.

Quænam in peregrinatione considerandai sint,

CAPVT V.

QVanquam igitur ex his, quæ superioribus capitib. exposuimus, satis potest intelligi, quænam observare oporteat eum, qui cum fructu peregrinari studet: tamen exactius singula proponam, Moisen imitatus: Qui ipse quoq; diligenter distinguit inter montes,

tes, terram, populum, urbes, humum ac nemora, & addit, quid in singulis his perpendendum sit. Sic enim ait ad eos, quos ad perlustrandam terram Canaan emittit. Cum veneritis ad montes, considerate terram, qualis sit, & populum, qui eam inhabitat: utrum fortis sit ille, an infirmus: pauci numero an plures: ipsa terra bona ne an mala: urbes quales: munitæ an absq; muris: humus pinguis an sterilis: nemorosa an absq; arboribus? Itaq; in omni regione quinq; præcipuè consideranda sunt, Nomen, Figura, Capacitas, Iurisdictio & Situs? Ad nomen regionis pertinet vetus ac recens eius appellatio, sæpè enim nomina regionum mutantur, pro temporis & incolarum varietate. Sic Italia, primũ Ianicula dicta est à Iano, vel à Noa, qui Oenotrius dicebatur, unde illa quoq; Oenotria dicta fuit: postea nominata est Camesena, Saturnia, Apennina, Taurina, & Vitullia. Item Hesperia ac Ausonia, donec tandem Italiæ nomen sortiretur, quod hodie adhuc retinet, et sunt horum nominũ rationes partim à Catone et Beroso

roſo annotatæ: partim ab iis, qui ejus regionis hiſtoriam & antiquitates deſcripſerunt, ut Polybio, Halicarnaſſeo & aliis? Per figuram regionis, formam illius quam habet intelligo.

Ita Sicilia triquetram figurã habere dicitur: & Critias apud Platonem narrat ſacerdotem quendam Ægyptium de antiquitatibus à Solone interrogatũ, dixiſſe eam regionem triangulum conſtituere, cujus è vertice ſcindantur fluenta Nili &c. Eſt & alia diſtinctio regionum vel locorum. Nam omnis terra vel Inſula eſt, ut Sicilia: vel Peninſula ſeu Cherſoneſus, ut Thaurica Cherſoneſus: vel Iſthmus, ut Iſthmus Corinthiacus: vel deniq; continens, ut Saxonia, Miſnia, Turingia, id quod Coſmographi docent. Per capacitatem intelligo amplitudinem, quæ longitudine & latitudine deprehendi ſolet: præterea ambitum et limites vel terminos, quibus illa includitur reſpectu plagarum mundi, ac populorum, fluminum, aut montium, quibus finitima eſt. Per Iurisdictionem vero, imperium & rationem guber-

bernandi. Quæ cum varia ſit apud varios populos, & ad ſingulas provincias aut urbes potius, quàm integras regiones pertineat: infra dicam in hoc capite, de differentiis illius. Situs autem alicujus regionis, vel montoſus eſt vel planus, & hic rurſum, vel maritimus vel mediterraneus. Quæ quidem diverſitas à natura originem ſuam traxit, & commoditates maximas habet. Nam ut idem ſacerdos apud Platonem docet: hi qui juga montium incolunt, ab inundationibus tuti ſunt: & vetus certamen eſt inter Ægyptios & Scythas de antiquitate, quoniam Scythæ primò ſe ortos contendunt, quod cum loca excelſa inhabitent, frigus optimè ferre conſueverint, nec incendium Solis metuant, nec excurſionibus maris moveantur, cum illud tam alte creſcere non poſsit ut ipſis noceat. In prioribus verò libris de Repub. Athenienſis quidam rogat Cretenſem (qui dixerat bonam partem Cretenſium velle coloniam deducere, ejusq; rei curam Gnoſiis demandaſſe) utrum ea colonia maritima futura ſit an non, &c.

Sunt & aliæ differentiæ regionum, et soli aut terræ, quas Levinus Lemnius Belga nuper indicavit, in iis libris, quos de occultis naturæ miraculis edidit. Et quæ nos in hoc capite hactenus diximus peregrinanti observanda esse, simili propemodum ratione annotavit Franciscus Patritius Senensis, in libris de regno & institutione regis. Sed sciendum, non satis esse has literarum differentias observasse: nisi etiam terram ipsam vel solum, montes, flumina, lacus, stagna, sylvas, item urbes eorundem observes. Aliud enim solum fertile aliud sterile, quod idem Moises exploratores suos observare jubet, & Atheniensis docet apud Platonem. Sic alii montes arbores alunt, alii non, alia flumina piscibus abundant, alia non. Ac certum est Genuenses harum duarum rerum penuria valde laborare. Idem censendum de sylvis, lacubus, & stagnis, quæ pro diversitate piscium & lignorum quæ continent, vel laudari vel vituperari à Rhetoribus solent. Vrbium inspectio diligentiorem curam requirit, nam & publica & privata

opera

opera spectanda se offerũt. Opera publica vel sacra sunt, vel prophana. Sacra, ut Basilicæ, monasteria, templa, quæ etiamsi extra urbes quoq; interdum splendida reperiuntur: communiora tamen urbibus sunt quàm pagis. Prophana sunt, palatia, fora, campi, theatra, curia, scholæ, Xenodochia, nosocomia, arces, armamentaria, propugnacula, turres, & tota ratio munitionis? Opera privata nomino ea, quæ in civium ædibus spectanda se præbent insignia, ut picturæ, horti, fontes, aut quicquid aliud est visu dignum. Et possunt quoq; Pharmacopolia huc referri, cum ea plerunq; in privatorum hominum bonis sint, ut bibliothecæ in bonis Reipub. Quanquam fieri potest, ut ambo hæc, aut his similia, ad Fiscum pertineant, sicut etiam thermæ atq; alia multa. Vt autem in regionis alicujus consideratione primum omnium nomen ipsum, & ratio illius, si extet, indaganda est: ita quoque in urbis alicujus inspectione fieri oportet. Sic Ianuæ in ædibus cujusdam civis, de nomine & autore ejus urbis, hi versus leguntur.

Vrbem qui veſtram ſtatui, Ianus, Deus olim
Iuſtitiæ, Pacis, Relligionis eram.
Hæc tria, ſervabunt urbem, ſervate nepotes,
Nulla erit urbs, pulſis his tribus, urbe, bonis.

Et poſtea Phetiton Iani nepos, pater Liguri, qui colonias Ægyptiacas ex Attica Ianuam duxit, Anno ſalutis aquarum 450. Cognito nomine urbis ac fundatoris, ratio gubernationis obſervanda eſt. Aliter enim vivitur ſub Monarchia, qualis eſt in Hiſpania & Galliis: aliter in Ariſtocratia, ut Venetiis, & Spartæ olim: aliter ſub Democratia, qua Helvetii adhuc ſuos fines tuentur. Et quanquam omnes ferè Philoſophi & Politici cenſuerunt, his tribus modis cunctas ſpecies gubernationis comprehendi poſſe, ſi abuſus ſimul cum vero uſu illarum conſideretur: tamen experientia conſtat rẽ aliter ſe habere. Quædam enim regiones, regna vel urbes hodie, à nobilibus ſimul & rege gubernantur, ut Dania: id quod Romæ etiam factum eſt temporibus Regum uſque ad Tarquinios: Quædam à plebe & rege, ut Perſia: quædam à nobilibus & plebe,

ut Florentia, Senæ & aliæ nonnullæ civitates Italiæ, idemq; Romæ olim post ejectos reges, & Lacedæmone ac Athenis accidit: Quædam deniq; à Rege, nobilitate & populo, ut Germania & Polonia. Atq; his cognitis perpendendũ, quomodo in singulis gubernandi formis, imperium vel conservetur, vel dilatetur, vel amittatur: quibus item legibus ac magistratibus impendentibus periculis occurri soleat. Quod quantam difficultatem habeat quisq; intelligit, cum, ut Cicero ait, peregrini officium sit nihil de alieno inquirere, & in aliena republica minimè sollicitum esse. Sed est profecto necessarium id facere, eum qui suæ patriæ commodis studet. Ad extremum oportet quoq; homines ipsos, cum quibus vivis, cognoscere. Non quò ad naturam tantũ ac mores, ut scilicet iis te accommodes: verum etiam quò ad victum & vestitum, totamq; illorum vivendi rationem, & quicquid aliud est singulis in rebus, quod vel linguam ac mores instruere, vel judicium formare, vel quocunq; alio modo generi humano usui es-

ſe poteſt. Scio me videri quibusdam frivola tradere, cum fieri vix queat ut unus omnia obſervet, nedum is qui vel profeßioni alicui incumbit, vel aliis rebus ſtudet, quarũ cauſa peregrinatur. Ita eſſe fateor, nec ego iſta in eum finem ſcribo, quaſi omnia hæc obſervare omnes oporteat, eſt enim uni rei magis vacandum quàm alteri, id quod ſupra quoq; admonui: poteſt tamen etiam is, qui vel propter ſtudia, vel quamcunq; aliã cauſam peregrinationem inſtituit, ita ſuis rebus vacare, ut & alia ſimul obſervet ſocietati hominũ utilia. Et quanquam varia variis uſui eſſe queunt, pro fine quem ſibi quisq; propoſuit, & utilitate quam ex peregrinatione ſtudet conſequi: tamen noſtra hæc etiam, ni fallor, aliquibus proderunt. Generalia enim ſunt: & ad omnem peregrinationem accommodata, maximè ad eam quæ juvandæ politiæ cauſa ſuſcipitur, & quæ homines ad rectè conſulendum, regendamq; Remp. aptos atq; idoneos efficit. Qui alium finem ſibi propoſitum habet, ut Medicus, miles, mercator, is aliquibus

horum

horum neglectis, alia in illorum locum reponat. Vtilißimum autem est, ut ipse quis perpendat, quarum rerum cognitione juvari poßit, ad hoc quod peregrinatione sua quærit. Id qui fecerit, fructum uberiorem inde percipiet, & facilius continget metam sibi propositam, quodcunque etiam genus vitæ sequatur.

Delectum habendum esse in iis, quæ inter peregrinandum vel conspiciuntur, vel discuntur: & de privilegiis peregrinantium.

Caput VI.

ADmonendi autem sunt adolescentes, ut dũ omnia perlustrant, scrutantur, ac discunt, etiam de reditu in patriam solliciti sint. Qui enim id non faciunt, in diem quod dicitur vivunt, et rebus suis non rectè prospiciunt. Nam cum ubivis gentium boni & mali homines reperiantur, nec ulla gens tam religiosa aut civilis sit, quæ non cum iis quibus prædita est virtutibus, vitia aliqua habeat conjuncta: tum illa maxima reperiuntur apud eos, qui abundant

maximis virtutibus. Cum enim bonum & malum inter ſe opponantur: conſequens eſt, ut duo hæc ſeſe mutuo ſuſtineant, alterum ſine altero eſſe non poteſt, ut quis locus eſſet Iuſtitiæ, ſi nullæ eſſent injuriæ? Magnanimitati, niſi puſillanimi? continentiæ, niſi libidinoſi & intemperantes? ſanitati, ſi nulli eſſent infirmo corpore? veritati, ſi non eſſet mendacium? felicitati deniq; niſi eſſent calamitates ac miſeriæ? Vt rectè dicat Socrates apud Platonem, ſe mirari, Æſopum nullum apologum feciſſe, in quo fingeret Deum extremitatem unius, ex his contrariis, conjunxiſſe cum extremitate alterius, ſcilicet ut iisdem ſe mutuo contingerent, & finis unius eſſet principium alterius. Oportet itaq; cautum eſſe peregrinantem, ne vitia pro virtutibus arripiat. Non ſolum quia natura procliviores ſumus ad vitia quàm ad virtutes, ſed etiam quòd vitia ſæpè tegantur appellatione vicinarum virtutum, & virtutes vocabulo vicinorum vitiorum. Veluti cum arrogantem liberum vocamus: modeſtum, ſimplicem: ignarum,

rum, probum: flagitiose sceleratum, prudentem aut astutum: quod idem accidit in aliis rebus. Faciunt præterea interdum deliciæ, ut quis de reditu non cogitet, quibus multi capiuntur tanquam hamo pisces: faciunt Sirenes, quarum cantu facile demulcetur aliquis, nisi ad tam facilem harmoniam quàm optimè obturet aures: faciunt deniq; infinita alia pro diversitate regionū. Quibus illud quoque accedit, quod exteri nonnulli adeo sunt astuti & versipelles, ut cum harum rerum studio aliquem delectari vident: omnem lapidem moveant, quò illum apud se detineant diutius: ac Prothei more in omnes formas aut figuras se mutant, ut illum argento simul emungant, & quod Circe sociis Vlyßis faciebat, ex homine in bestiam transmutent. Si igitur ulla alia in re prudentia opus est, certe in hac requiritur: id quod ubiq; ferè indicat Homerus in Odyss: per Vlyssem. Tanta enim est humanæ mentis ignorantia, tanta naturæ corruptæ perversitas, ut bona à malis, virtutes à vitiis, sine difficultate

aliqua, non discernant. Et quamvis fatendum, quosdam ſcienter peccare, ac ſeipſos decipere ſpecie veræ voluptatis aut doloris, ut incontinentes, quorum ratio aut mens cum appetitu pugnans, id quod re vera malum eſt, ipſa quoq; malum eſſe cenſet: carent tamen iſti perfecta cognitione, nec tam exquiſita judicant quàm decebat, & ineſt illis opinio potius, quàm judiciũ. Itaq; rationem ab affectibus vinci patiuntur. Si enim verè ſcirent, non errarent. Sic appetitus rationem ſemper vincit ignorantia, & vera ſcientia ab affectu nunq̃ ſuperatur. Sed utut iſta ſe habeant, nihil eſt conſultius peregrinanti, quàm ut affectus & cupiditates ſuas refrenet ipſe, ſi id facere poteſt: Sin minus, proximum eſt, ut aliorum ope & conſilio utatur ad eam rem, Heſiodi præceptum ſecutus. Id quod Homerus quoque indicavit, dum fingit Vlyſſem ſociis ſuis cera aures obturaſſe, ne Sirenum cantu demulcerentur. Qui vero neutrum ex his duobus facit, ille ſibi ultro accerſit mala, & in omne genus turpitudinis ſe præcipitat.

Faciet

Faciet autem id, & facilius & libentius, si de reditu suo in patriam sæpè cogitaverit: quod idem Homerus scribit Vlyssem fecisse, & hoc pacto prudentia sua, multas voluptatum illecebras vitasse, ac omnia genera malorum superasse. Vetus est querela multorũ, nostros ex Italia tria reportare solere: Malam conscientiam, vacuam crumenam, debilem ventriculum: & res ita se plerunq; habet. Sed quæ est causa ejus rei? Nam in iis locis Italiæ, in quibus optimarum doctrinarum atq; artium studia in primis florent, aër non insalubris est: victus talis qualem quisq; cupit, homines pii et impii, boni ac mali. Cernuntur etiam exempla virtutum & vitiorum multa, singulis diebus, ab omnium ordinũ hominibus. Reliquum igitur est sponte & voluntate nostra id fieri, qua ita vivimus interdum, ut vitiorum illecebris capti, pietatis simul ac valetudinis et pecuniarum jacturam faciamus: adeo ut vulgatũ apud Italos proverbiũ sit, Thedescho Italionato, diabolo incarnato: hoc est, Germanũ hominẽ Italicis

moribus imbutum, diaboli naturam induere, et ad omne genus nequitiæ aptum esse. Habet unaquæq; natio sua peculiaria vitia, quæ nosse convenit, imitari nequaquam. Deniq; ita vivendum apud exteras gentes, ut domum reversus patriis moribus, si boni sint, vivere poßis, et ne vitia pro virtute, ignorantiam pro doctrina, mala pro bonis, opiniones pro scientia, morbos pro sanitate, aut si quid aliud turpe ac flagitiosum est, temporis simul et pecuniarũ jactura facta, summo cum dedecore in patriam reportes.

Cum autem multæ ac variæ molestiæ peregrinantibus devorandæ sint, multa in utroq; Iure beneficia aut privilegia iis conceduntur. Nam peregrini dicuntur esse de foro Ecclesiæ, & quicunq; ipsos aut bona illorum lædunt, excommunicantur, nisi admoniti satisfaciant. Item qui religionis causa peregrinantur, à vectigalibus immunes sunt. Et omnes peregrini aut advenæ, de rebus suis liberam habent testandi voluntatẽ: & si intestati decedunt, res illorum quas secum ferunt, non ad eum qui illos ho-

spitio

hoſpitio excepit, ſed ad Epiſcopum in eo loco Iurisdictionem habentem, devolvuntur, vel hæredibus defuncti tradendæ, vel in pias cauſas erogãdæ. Quod ſi hoſpes ex iis aliquid fraudulenter ſibi retineat, nulla conſuetudine obſtante, triplum Epiſcopo reſtituere cogitur, aut teſtamenti condendi facultatem amittit. Imò quicunq; de peregrinorum morientium bonis aliquid detinet, mortaliter peccat, niſi in eum finem id faciat, ut tradat ei cui jure debetur: nec excuſatur aliquo ſtatuto, conſuetudine aut præcepto, ut prolixè probat Hoſtienſis. Præterea qui religionis ergo peregrinantur, in nullo loco quem transeunt, conveniri poſſunt propter debitum vel æs alienum, nec cauſa Repreſſaliorum capi. Sic peregrinatio longior, neceßitatis cauſa inſtituta, ſponſalia differt. Poſtremò etiam his proſpectum eſt in Iure, qui cauſa ſtudii peregrinantur. Extat enim conſtitutio Friderici Imperatoris in Codice Iuſtinianeo, qua ille omnibus ſtudiorum cauſa peregrinantibus, ſecuram peregrinationem & liberam commoran-

morandi facultatem concedit, prohibens ne ob delictum aut debitum aliorum, ipsi damnum aliquod sentiant: & liberum illis permittit sub quo Iudice conveniri velint, adjectis causis cur hæc ita fieri debeant. Illud quoq; sciendum, nimirum bona scholasticorum a vectigalibus immunia esse. Quod etsi in hac Constitutione expreßè non dicitur: tamen ex verbis (securè veniant & habitent) ac aliis argumentis multis colligunt hoc interpretes. Intelligenda autem est tota hæc Constitutio de his Scholaribus qui studeut, non de illis quibus literæ in patinis magis quàm in pagellis sapiunt, licet aliàs in album vel matriculam studiosorum, ut vocant, inscripti sint, argumento Notariorum & apparitorum. Loquitur etiam hæc Constitutio non de omnibus scholis, sed de iis tantum, quæ summorum Principum autoritate, aut longa consuetudine approbatæ sunt, id quod Bartolus annotavit. Extant deniq; de privilegiis Scholasticorum tempore veterum Iureconsultorum plurimi tituli in Codice, ut de privile-

vilegiis ſcholarum libro 10. Item de profeſſo: & Medicis, eodem libro. Item de profeſſoribus urbis Conſtantinop: lib.12. Hodie vero pleræq; univerſitates celebres ſcholaſticorum, multis aliis Romanorum Pontificum, Imperatorum & Principum privilegiis ornatæ ſunt, quæ Franciſcus Bologninus congeſſit.

Exempla ſummorum virorum qui peregrinati ſunt.

CAPVT VII.

HActenus itaq; de his dictum ſit à nobis, quæ ad explicandam peregrinationis definitionem facere videbantur: adferamus jam exempla eorum, qui peregrinando laudem atq; gloriam ſibi pepererunt. Et quanquã copioſior eſt hic locus quàm ut paucis complecti poſſit: quis enim omnes omnium hominum ordines examinet? tamen illuſtriora aliquod exempla adferã ſummorum virorum in diverſis vitæ generibus. Atque ut à Philoſophis incipiam, conſtat Pythagoram primum Ægyptum petiiſſe, ut à ſacerdotibus illius

loci, vires numerorum & ſolertiſsimas Geometriæ figuras addiſceret. Deinde Babylonem, ubi à Chaldæis ſiderum curſus, planetarum ſtatus, ambitus & effectus, in inferiora mundi corpora, didicit. Inde in Cretam regreſſum Lacedæmona veniſſe, ut inclitas ea tempeſtate Lycurgi ac Minois leges cognoſceret. Deniq; in Italiam navigantem Crotone conſediſſe per annos viginti, & populum ibi luxuriæ aſſuetum, autoritate ſua ad frugalem vitam revocaſſe. Matronas quidem ad pudicitiam, juvenes vero ad modeſtiam, adeò ut ſanctitate illius adductæ mulieres, aureas veſtes & laſciviora quævis ornamenta, quibus uti conſueverant, Iunoni conſecrarent. Tandem Metapentum navigaſſe, atq; ibi deceſsiſſe, ubi tanta in admiratione fuit, ut ex domo illius templum extrueretur, & honores divini illi exhiberentur. Quò vero non pervenit Apollonius eius diſcipulus? Perſas acceſsit magus & Philoſophus, pertranſivit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas, opulentiſsima Indiæ regna peragravit,

& Phiſone latiſſimo amne transmiſſo, pervenit ad Brachmannos, ut Hiarcham in throno aureo ſedentem, & de fonte Tantali bibentem, inter paucos diſcipulos de natura, motibus ſiderum, ac dierum inæqualitate diſſerentem, audiret. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæſtinos, reverſus Alexandriam, perrexit in Æthiopiam, ut Gymnoſophiſtas audiret, et celeberrimam Solis menſam videret in Sabulo, recte judicans, ubiq; inveniri quod diſcas, & ubiq; aliquem poſſe meliorem fieri. Sic Plato Architam Tarentinum audivit in ea parte Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicta eſt: navigavit in Siciliam ut crateres Ætnæ videret, cum tamen apud Athenienſes capitali lege cautum eſſet, ne quis Græcorum eam inſulam adiret. Profectus quoq; eſt in Ægyptum, ut ab ejus regionis ſapientibus, antiquitatem perſcrutaretur: nec dubium eſt quin omnem ſapientiam inde reportaverit, quam poſteris reliquit, & qua adeo ex-

celluit, ut divinus, & Philosophorum princeps vocaretur. Nihil attinet plures eius ordinis referre, his antiquiores vel recentiores etiam, cum omnes ferè idem fecisse constat, quorum laus atque eruditio celebratur. Et nisi id fecissent, non potuissent tantam frequentiam discipulorum ad se trahere, nec tot sectas instituere, ut Socrates Socraticam, Plato Academicam, Aristoteles Peripateticam, Zeno Stoicam, Pythagoras Pythagoricam, Antisthenes Cynicam, Aristippus Cyrenaicam, & alii alias. De Medicis planè eodem modo se res habet, sive de Græcis, sive de Arabibus loquamur. Nam ut nihil dicam de Æsculapio, quē Deum Medicinæ finxerunt veteres: certum est Hippocratem uon domi tantum, verum etiam apud exteros artem suā exercuisse. Inhabitavit enim Thessaliam multis annis, cum patria Cous esset, & Abderam vocatus, pestem ab ea urbe depulit. Et quanquam nimio amore patriæ, Artoxerxem noluit invisere, magnis muneribus ab eodem invitatus, tamen natura delectatus est peregrinatione, eaq; de causa pallio velatum

incessisse scribunt. Galenus autem Medicorum longe doctissimus, Smyrnæ Pelopem & Satyrũ audivit docentes, Numesianum Corinthi, post alias orbis regiones invisit. Ac primo quidem Alexandriam se contulit, ubi cum aliquandiu hæsisset, totamq; adjacentem Ægyptum peragrasset, ad Palæstinam Syriæ profectus est. Navigavit in Lemnum et Cyprum, ut varia rei medicæ inservientia, in usum suorum Pergamensium, inde reportaret. Non tamẽ diu domi mansit, sed ortà seditione Romam se contulit. Vnde rursum profectus domum, sedata seditione, tam diu hæsit ibi, donec à M. Aurelio & Lucio, Romanis Imperatoribus, Romam quasi postliminio revocaretur. Tandem iterum rediit in patriam, & vitam suam in ea finivit. Nec minus Arabum Medici peregrinationi dediti fuere, sicut Avicenna testatur se propemodum totum orbem peragrasse. Quid dicam de Oratoribus & Poëtis? cum his natura propriũ sit peregrinari Platone teste: illorũ vero officium requirat, ut id faciant, conservandæ pacis studio,

dio, vel quacunq; alia de causa, id quod commune est cum Oratoribus omnibus viris politicis. Nam illis peregrinantibus & gnaviter fungentibus suo munenere, alii cives domi manere possunt, & Respub. pace fruitur: id quod innumerabilia exempla Græcæ et Latinæ historiæ docent, apud Thucididem & Liviũ.

Inspiciamus porro veteres legumlatores ac ceremoniarum magistros, ut Moisen, qui Iudæis leges tradidit, digito Dei lapideis tabulis inscriptas: Orphea qui Tracibus: Minoem & Rhadamantum qui Cretensibus: Zamolxim qui Scythis: Lycurgum qui Lacedæmonibus: & Draconem Solonemq; qui Atheniensibus vivendi leges præscripserunt. Nam illos omnes peregrinatos deprehendemus. Sin unius Reipub. tantum νομοθέτας consideramus, ut puta Romanæ, exempla multa nobis suggerent hi, qui vitas ipsorum descripserunt: & unum nobis multorum loco esse potest P. Servilii Sulpitii Ruffi. Constat enim hunc cum Cicerone Rhodum profectum esse, ut eloquentiæ & Philosophiæ daret operam,

ram, postea cum summa utilitate Reipub. vixisse Romæ, tam diu, donec Cæsar Pompeium Pharsalico prælio vinceret, rerumq; potiretur. Nam tunc Athenis aliquantisper & Sami, ac in aliis locis se continuit, de Iure Pontificio in scholis disputans. Cum autem Cæsar in Italiam reverteretur, ille quoq; non modo urbi restitutus, sed & Græciæ præfectus est, quàm diu Cæsar vixit: eo vero interfecto Romam se recepit. Si deniq; interpretum Iuris vitas evolvimus, recentiorum ac veterum, videmus plures exteros, Iuris Civilis sapientiam, aliquo in loco docuisse, quam eos qui eodem in loco nati essent. Quod etiamnum hodiè obtinet in Italia, Germania, & Galliis, ubi Ius Civile viget. Nam multa regna, Iure municipali tantum utuntur, non Romano, ut Anglia, Scotia, Polonia, Suetia: quod nemo melius interpretatur, quam qui sub eodem natus atq; educatus est.

Sed & heroës omnes, ac illi qui res præclaras & magnificas gesserunt, peregrinationi fuerunt dediti. Scribunt enim

Crete-

Cretæum Iovem quinquies perluſtraſſe terrarum orbem. Quod etſi fortaſſe fabuloſum videtur aliquibus: eam tamen ſignificationem habet, ut intelligatur, eum ſua tempeſtate nullam orbis partem reliquiſſe, quam non peragraret. Quod idem quoq; eius filii, Dionyſius ſcilicet cognomento Bachus, & fortiſsimus Hercules fecere, dum alter illorum toti orbi præfuit inventione ſua, qua vites colere mortales docuit: alter orbem à malis hominibus & tyrannide liberavit.

Quid enim aliud fuerunt Procuſtes, Scyron, Cacus, Diomedes, Antæus & Geryon, quàm crudeles ac impii tyranni, contra quos perpetuò pugnabant variis in locis Hercules, Theſeus, ac alii viri fortes. Notum eſt Iaſonem cum cæteris Argonautis in Colchicam navigaſſe, ut aureum vellus inde reportaret: id quod etiam fecit, atq; ea re immortalem gloriam ſibi comparavit. Quemadmodum & Vlyſſes, qui cum annos viginti abfuerit ab Ithaca ſua, non mirum ſi eum πολύτροπον appellat Homerus,

& magnis laudibus extollit. Ornat quoque summis laudibus Aeneam peregrinantem Vergilius: & potuisset uterq; illorum citius ocio & quiete frui, ille apud Calypso & Circen, hic apud Didonem, si obscurè vivere voluissent. Sed stimulabat eos magnitudo animi et majoris laudis cupiditas, ut nullos labores, nulla pericula subterfugerent, modò id consequi possent, quod maximè cupiebant.

Consideremus porrò omnes Monarchias mundi, & deprehendemus principes illarum res maximas peregrinando perfecisse, ut Ninum & Nebucadnezarem in prima Monarchia: in secunda Cyrum, Darium, Xerxem: in tertia Alexandrum Magnum, qui & initium & finem fecit ei Monarchiæ. Nam eo mortuo regna relicta, à pluribus administrabantur. Licet illi quoq; magna bella gesserunt in diversis locis. In quarta vero Iulium Cæsarem, Octavianum, Augustũ, Constantinos, Carolos, Othones, Conrados, Heinricos, Fridericos et alios plures. Inter quos nulli secundus

fuit

fuit peregrinando & rerum gestarum gloria D. Carolus V. Nam quoties ille sua avita regna, inter varias gentes posita & quasi dispersa, invisit? Quoties e Galliis, victor in ea rediit? Nonne ille florentissimis Hispaniarum regnis relictis, præsentia sua Italiam pacatam reddidit, bello intestino multis annis implicatam, & simili propemodum morbo laborantem Germaniam conservavit? An non eo in Pannoniam adventante, Solymannus Turcarum Imperator arripuit fugam? Nonne ille Tunetum Africæ regnum, quod Ariadenus Barbarossa, jussu & auxilio Solymanni occupaverat, præsens recuperavit? Nonne ipsemet petiit Aphrodisium, spe juvandæ Reipub. Christianæ? & quæ tandem ille regna locave non adiit? quæ pericula, quos labores non sustinuit? quò avitis, ut dixi, regnis, ac Imperio sibi concredito, pacem salutemq; pararet, optimus princeps, ac ut Voerthusius ait, Carolo Magno per omnia similis. Mithridatem Ponti Regem ob quinquaginta linguarum peritiam commendant: sed

quis

quis putat eum in alium finem tot linguas didicisse, quàm ut ipse eos populos, cum quibus commertium habebat, alloqui, & inter peregrinos tutius, ac minore cum invidia versari posset? Sic quoq; Antiochus Magnus peregrinatus est, Sic Annibal, Pompejus, Scipiones, Marii, Lentuli, & alii infiniti omnium gentium Reges, & Heroës: quorum virtutem & res præclarè gestas, nulla unquam oblivio delebit: quemadmodum nulla ætas commendabit eos, qui domi desides, ac ocio ignavo deditì, nihil laude ac posteritate dignum foris egerunt, ut Ninias Nini & Semiramidis filius, Sardanapalus & alii.

Iam vero evolvantur sacræ literæ, et reperiemus in iis infinita exempla piorum, qui peregrinati sunt, partim sua sponte, partim jussu ac mandato Dei. Nam Genesis 12. Deus expreßè mandat Abrahamo, ut eo, quem inhabitabat, loco relicto, in alium migret, et paulò pòst eidem Abrahamo terram peregrinationis promittit, ac omnem terram Chanaan in æternam possessionem. Sic

Isaac post mortem patris in Palæstinam se conferebat, & habitabat in eo, jussus a Deo ut id faceret. Iacob vivo patre suo in Mesopotamiam migrabat, & post multos annos tandem inde revertebatur ad patrios locos. Quinetiam senio confectus, proficiscebatur in Ægyptum ad filium suum Ioseph: ac paßim legimus in sacris literis, Patriarchas, Prophetas, & aliâs pios homines, peregrinationes longas instituisse. Vt Moisen, Aaronem, Iosuam. Quid quod Christus ipse peregrinatus est frequenter admodum, ac ut peregrinus interdum apparuit, ut undique sibi Ecclesiam colligeret. Quod idem quoque per Apostolos suos fecit, quos in universum terræ orbem misit, ad prædicandum Evangelium. Ita scribunt Thomam Parthis, Medis, Persis, Hircanis, Bactrianis & aliis Indiæ interioris gentibus, Evangelium annunciasse. Matthæum Macedonibus & Thracibus, Bartholomæum Lycaonibus & his qui citeriorem Indiam incolunt. Andream Achæis & Scythis, Iohannem post mortem Mariæ, Asiaticis. Iacobũ majorem

jorem Hispanis. Philippum Gallis. Simonem Zelotem Ægyptiis. Petrum autē in Ponto, Gallicia, Bithynia, Cappadocia, Italia, ac Romæ tandem Christum prædicasse. Notæ sunt peregrinationes Pauli ex actis apostolorum & suis ipsius scriptis. Testatur enim se post conversionem ad fidem, in Arabiam profectum esse, & inde reversum Damascum, petiisse Hierosolymam, ut Petrum videret. Postea in Syriam ac Ciliciam fecisse iter, & post annos quatuordecim iterum petiisse Hierosolymam, docendi Evangelii causa. Constat quoq; eum fuisse in Hispaniis, ac in Hispania Narbonensi multos ad fidem Christi convertisse, quemadmodum & in aliis locis, donec sub Nerone Imperatore, Romæ capite plecteretur.

Fuit autem Paulo comes peregrinationis Lucas Evangelista, patria Syrus, ex urbe Antiochia, qui in Achaia Evangelium suum scripsit, & in eadem regione obiit. Sic quoq; Marcus Evangelista, Antiochenus fuit, sed Romam migravit, unde Alexandriam profici-

scens, ut eo in loco doceret Evangelium: Aquilegienses vicinos ad fidem Christi convertit, & factus est illorum Episcopus. De reliquis duobus Evangelistis res plana est, ex vitis Apostolorum. Patres vero, hoc est, Scripturæ sanctæ interpretes, non minus peregrinationi dediti fuerunt quàm alii, id quod similiter ex illorum vitis apparet, ut ex vita Hieronymi & Augustini. Nam Hieronymus in Pannonia Stridoni natus, Romæ peregrinas linguas didicit: postea in Syriam se contulit. Inde Bethlaemum, ubi etiam mortuus est, anno ut scribunt ætatis suæ 91. Denique compertum habemus ab initio mundi ad hæc tempora usque, maximæ autoritatis, prudentiæ, eruditionis ac sapientiæ viros, peregrinationi studuisse, nec quenquam magnas aut præclaras res gessisse, nisi etiam peregrinatus sit.

De his quæ peregrinantibus objici solent, & eorundem confutatio.

CAPVT VIII.

SEd sunt aliqui, qui peregrinationem exte-

extenuant, & multis modis homines ab ea absterrent. Contendunt enim, non solum nomen peregrinationis infame esse, sed etiam rem ipsam, idq; ex Ciceronis locis aliquot, & ex Vlpiano Iureconsulto probare conantur. Nam in Tusculanis quæstionibus, Cicero exilium cum peregrinatione confert, & in epistola quadam ad Cælium, peregrinationem sordidam vocat & extenuat. Vlpianus verò deportationem eam nominat, quæ est pœna, qua quis bona simul & civitatis suæ jura amittit, ac intra certum locum quem inhabitet, concluditur. Sic Ovidius ad Tomos deportatus est, civitate & bonis omnibus amißis. Deinde objiciunt peregrinantes bonis viris invisos esse, tanquam homines vagabundos, & qui nullo in loco commorari possint, etiamsi causa honestißima emergendi sese illis offerat. Vnde eos planetas ac erroneos nominant, quasi pœnæ loco id faciant, & a Deo puniantur. Exemplo Caini, cui Deus maledicens, ait eum vagum super terram futurum: cum etiam veteres constet ad eum mo-

dum imprecari consuevisse ut Oedipum apud Tragicos. Vnde adagium natum est Oedipi imprecatio, & Laertius testatur, Diogenem Cynicum solitum dicere, sibi τὰς τραγικὰς ἀρὰς occurrisse. Esse enim se sine domo, sine civitate, privatum patria, & vitam in diem agere.

Tertio clamant peregrinantes in parentes & amicos, aut in uxores vel liberos, injurios esse; dum se ultrò quodammodo ab his separant. Sicut Propertius in Posthumū quendam invehitur, quod vesana militiæ cupiditate à dulcißima uxore, consuetudine sese abstrahi patiatur, hac imprecatione:

Si fas est omnes pariter pereatis avari,
Et quisquis fido prætulit arma toro.

Nec multo melioribus ominibus prosequi solemus eos, quibus majori voluptati est ἀνεστίους vagari, quàm in patria conversationis suorum jucundißima usura frui. Hinc illud à Poëta proditum accepimus: (νεῖν

Ως ἐν γὰρ μοι κρίνοιτ᾽ ἂν οὐ καλῶς Φρο-
Οστις πατρῴας γῆς ἀτιμάζων ὅρους

Ἄλλην

Ἄλλῳ ἐπαινεῖ καὶ τρόποισιν ἥδεται.

Quarto conqueruntur, peregrinantibus infinitos labores perferendos, nec de bonis tantum, sed vita sæpè periclitandum esse. Id quod negari non potest, & exempla Vlyßis & Æneæ docent.

Quinto vulgatum illud objiciunt, Cœlum non animum mutare eos qui trans mare currunt, & ironiæ causa recitant versiculos in eos factos, qui cum studiorum causa peregrinati sint, nihilo doctiores redierunt domum, quàm inde abierunt:

Parisios stolidum si quis transmittat asellũ:
Si fuit hic asinus, non ibi fiet equus.

Videntur autem talibus proverbiis aut dictis tria asseverare. Primo quod mutatio loci non mutet naturam hominis. Secundo vitia & virtutes nasci nobiscum, non fieri in nobis. Tertio virtutes non addisci, vitia non dedisci posse. Quæ omnia falsa sunt, ut paulò pòst docebimus.

Sexto adferunt ex Platone legem Lycurgi, qua ille suis Lacedæmoniis peregrinationes interdixit, & causam adferunt,

ferunt, ne scilicet alienos mores importarent in Rempub. quæ ratio plausibilis est, & à Platone quoq; adfertur.

Septimo citant versus Claudiani:

Felix qui patriis ævum transegit in agris,
Ipsa domus puerũ quem videt ipsa senem.
Qui baculo nitens in qua reptabat arena,
Vnius, numerat secula longa, casæ.

Nec non Horatii in Odis, Oda 2. & Ovidii ubi ait:

Crede mihi benè qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

Qui omnes vitam beatam in ocio consistere testantur. Peregrinantes autem ocio vacare non possunt, si rebus suis volunt rectè consulere: unde non censendi felicem vitam ducere, adversantibus iis tot malis, periculis, ac insultibus fortunæ, quæ inter peregrinandum se offerunt. Discutiamus igitur ordine hæc argumenta, & respondeamus ad ea, memores definitionis à nobis traditæ, ac eorum quæ pro declaratione illius, præcedentibus capitibus tractavimus.

Et quidem quod ad priora duo argumenta attinet, nulla illa responsione

indi-

indigent. Nam aliud est deportatio aut exilium, aliud peregrinatio, omnium Grammaticorum consensu. Ac quamvis veteres interdum uno horum vocabulorum, pro alio usi sint: cœperunt tamen singula hæc propriam significationem habere, quam usus rectè loquentium obtinuit. Licet itaq; Cicero exilium cum peregrinatione conferat, aliud tamen est exilium, aliud peregrinatio. Deinde aliud est perpetuò peregrinari: de quo sanè genere peregrinationis Cicero in citato loco loquitur, aliud ad tempus tantum, de qua nos loquimur hic: quare nihil mirum si idem Cicero alibi eam sordidam vocat & extenuat. Nam qui perpetuo peregrinatur, nec in patriam, a qua absuit aliquandiu, redit, vel alium locum sibi elegit ubi quiescat, & commodis, ex diuturna peregrinatione perceptis, fruatur: ab exule nihil differt: cumque in patriam & suos, quos aut consilio, aut re ipsa juvare poterat, injurius sit, infamis loco meritò habetur. Sic quoq; Vlpianus loquitur de perpetua peregrinatione, quæ morti similis

eſt. Nam deportatus civitatem amittit, & pro mortuo habetur. Certè in multis Iuris locis vocabulum peregrini in bonam partem & propriè accipitur, quod ſupra oſtendi, cũ de privilegiis peregrinantium verba facerem, & Cicero Platonis ac Pythagoræ peregrinationes magnificè extollit: Atq; ex hac diſtinctione facilè etiam reſponderi poteſt ad ſecundum argumentum. Quemadmodũ enim non de perpetua peregrinatione loq́mur: ita non excuſamus eos qui ideo peregrinantur, ut vel à laboribus, quos domi ſuſtinere cogerentur, immunes ſint: vel ut pravis cupiditatibus (quod domi illis vix impunè liceret) frenos egregiè laxẽt: aut jure vel injuria ab exteris, fraudes ipſorum ignorantibus, per falſas merces, ac alias vitioſas rationes, pecunias extorqueant. Sicut etiam legibus cautũ eſt, ne tales ullo in loco ferantur: imo ſi falſas merces pro veris divendant, non mulctentur, ſed vel deportentur, vel ultimo ſupplicio afficiantur. Sic ergo inter nos, & eos quibus peregrinatio omnis inviſa eſt, convenit: ut tales impoſtores ac

erro-

errones, non modo nusquam ferri, verum etiam ubique funditus extirpari cupiamus. Ad tertium argumentum, ex secundo & tertio capite responderi potest. Ibi enim distinximus inter eos qui ad peregrinandũ apti sunt, & alios qui non sunt apti ad eam rem. Item inter eos qui cum fructu peregrinantur, & alios qui voluptatis causa tantum laborem hunc suscipiunt, si tamen labor voluptas appellandus est. Sed quæret hic quispiam: An etiam in matrimonio constituti apti sint ad peregrinandum? Nam præter id, quod mulieres aut fœminæ honestate quodammodo prohibentur longas aut frequentes peregrinationes suscipere: matrimonii lex est, ut ea ligati perpetuo una sint, & mutuas operas sibi invicem ferant. Sed ea res, quod ad fœminas attinet, ex consuetudine regionũ pendet, ut supra quoq; admonui: quod ad matrimoniũ non impeditur. Quid enim si talis peregrinatio suscipienda sit, quæ utrisq; conjugibus ac toti rei familiari prosit? quales mercatorum peregrinationes sunt, & aliorum qui virtutis causa per-

egrinantur. Deinde potest etiam inter conjuges mutua opera per peregrinationem præstari, et una mens aut anima in duobus corporibus manere, etiamsi hæc corpora magno intervallo inter se distent. Præterea leges Civiles post contracta sponsalia peregrinari permittunt, si justa causa subsit: ergo etiam his permittunt qui in matrimonio sunt, cum consensus, non concubitus matrimonium faciat. Tantum abest in amicos aut parentes peccare peregrinantes: ut si domi mansissent parum sæpe, si peregrinati sunt, iisdem plurimum commodent.

Quod quarto loco adfertur, negari non potest ut dixi. At non consequitur inde peregrinationem intermittendam esse, cum etiam aliis de causis quis possit bonorum suorum jacturam facere, vel de vita sua periclitari. Labor vero, qui peregrinantibus sese offert, rebus omnibus communis est, quæ alicujus momenti sunt, & è quibus laus atq; gloria quæritur, ut de utilitate nihil dicam. Olim meminisse juvabit, inquit Æneas apud Vergilium: & tales gnomas complures

adfert Vlysses apud Homerum: quoniam peracti laboris recordatio jucunda esse solet. Quo igitur plus laudis, commodi aut honoris ex peregrinatione ad aliquem redit, eò gratior & charior est, & quod ἀνιδρωτὶ aut sine labore aliquo vel periculo acquiritur, nõ tanti æstimatur a nobis, quanti illud quod ἱδρῶτι, hoc est, multo sudore, labore ac periculo comparamus, unde proverbium apud Græcos, χαλεπὸν καὶ ἐπίπονον τὸ καλόν.

Quintum argumentum plausibile est & experientiam testem habet. Videmus enim plerosque reverti domum vitiis non minus deditos, quàm antea cum peregrinationem nondum suscepissent, adeo ut adagii loco sit Belgis, neminem ab ancipiti diutinoque morbo aut periculosa peregrinatione meliorem effici. Sed quamvis res ita se habeat, non tamen peregrinatio in causa est, verum homines ipsi. Nam præterquam quod natura humana vitio protoplasti corrupta est, & quidam adeo proclives sunt ad omne genus flagitiorum, ut nati ad ea exercenda videantur: mala educatio & cum

malis conversatio, vitiositatem hanc in iis auget, et ex hominibus eos pecudes facit. Accedunt ad hæc insidiæ diaboli omnium virtutum hostis, & mala animi cultura, ac pietatis neglectus, cui in primis studendũ erat. Quare nihil mirũ, tales semper sibi similes esse, nec quicquam mutare suos mores: quia nullam operam ei rei impendunt. Sed si ea diligenter observarent quæ supra capite 3. annotavimus, meliores efficerentur, & diligentiorem curam excolendi animi haberent. Illud autem huic malo accedit, quod domũ reversi è peregrinis nationibus, iisdem aut similibus congerronibus se associant, quib. ante delectati sunt, ac omnium periculorum obliti, in omne genus voluptatis se effundunt. Sic ergo:

ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari nescia. Vt Satyricus ait.

Alioquin falsa est sententia eorum, qui asserunt mutationem loci non mutare naturam hominis. Quia experientia, ex qua illi ratiocinantur, diversum docet, & ideo multi mittuntur ad

peregrinas gentes, ut converſatione illarum mores ſuos excolant, neglectis vitiis: & ut ad aliorum hominum mores ſe accommodare diſcant, id quod nemo negat poſſe fieri. Si enim agri diligenti cultura meliores reddi poſſunt, quid obſtat quò minus homo rudis aut ad vitia pronus, diuturna conſuetudine & cõmercio bonorum, melior reddatur? ἂν χωλῷ περιοικήσῃς ὑποσκάζειν μαθήσῃς inquit Plutarchus: tanta vis eſt conſuetudinis cotidianæq; converſationis. Et quemadmodũ herbæ aut fructus in uno ſolo nati, ſi in aliud vel alterius qualitatis ſolum transferantur, degenerant, adeo ut vel colorem, vel ſaporẽ nativamq; qualitatem mutent, propter naturam ſoli, influxum ſiderum, et cœli ambientis benignitatem, ac alimenti rationem: ſic idem prorſus in hominibus accidit, pro facultate alimentorum, ac aëris ambientis conditione, ut alium corporis habitum & temperamentum, alios mores ac ſtudia conſequantur.

Sic Cimber in Hiſpanum, Germanus in Gallum vel Italum mutatur diutino

commercio, vitæq; usu ac consuetudine. Danda autem opera est, ut virtutes aliorum imitemur, non vitia, qua quidem de re supra quoque admonui. Nam hoc quoq; falsum est, quod isti asserunt virtutem non addisci, vitia dedisci non posse, quia reliqua est libertas voluntatis humanæ in rebus externis, & cotidiè cernuntur exempla virtutum ac vitiorum, quæ non minus imitari aliquis potest, quàm opus præstantis artificis, modo natura aptus sit ad perdiscendam eam artem, & principia illius habeat cognita, ut picturæ aut sculpturæ. Neq; enim illud simpliciter verum est quod isti putant, virtutes & vitia nobiscum nasci, non gigni in nobis: Sed sunt aliæ virtutes Naturales, aliæ Morales. Et hæ posteriores addisci possunt, id quod ipsæ Leges indicant, quæ reos non propter scelera jam commissa supplicio afficiunt, cum fieri nequeat, ut id quod factum est infectum reddatur: sed ad futura respiciunt, & ne is, qui semel deliquit, iterum delinquat, aut exemplo suo aliis delinquendi ansam præbeat.

Ac essent profecto homines valde infelices, si cum artem repererint, qua feras mansuetiores reddant, ferarum ingenia, ut ursos, leones, lupos, vel aviculam sylvestrem ad arbitrium alicujus volare doceant, reverti è sylva, & à libertate sua naturali sponte in caveam aut servitutem redire, non etiam eadem industria poßint excogitare artes, quibus se ipsos adjuvent, & diligentia ac labore animum suum reddant meliorem.

Ad id quod ex Platone de Legibus Lycurgi adferunt, responderi potest per regulam Iureconsultorum, quæ dicit usum rei alicujus propter abusum tolli non debere. Et hoc agit Plato in eo loco, ut doceat cavendum esse in Repub. ne vitia in eam adferantur, non disputat utrum peregrinandum sit vel non. Quid enim si quis cum fructu Reipublicæ peregrinetur, ut Timæus fecit apud eundem Platonem, & Plato ipse ac alii innumerabiles, quorum supra feci mentionem. Deinde si quis historiam Thucydidis aut Xenophontis evolvat, reperiet Lacedæmonios morum probitate præ-

 stantes,

stantes, virtutẽ magis simplicem quàm subtilem probasse, legesq́ue suas Cretensibus magna ex parte acceptas tulisse, opera Lycurgi. Athenienses verò varietate doctrinæ insignes extitisse, & ideo diligentiores fuisse in indagandis iis rebus, quæ ad utilitatem Reipublicæ pertinerent, non neglexisse eadem propter abusum aliquem. Illud verissimum est, tam Lacedæmonios, quàm Athenienses ab Ægyptiis leges suas mutuatas. Fuit enim & Lycurgus in Ægypto: Ægyptii vero Hebræos habebant autores suarum legum, si Eusebio credimus, quos à Deo ipso leges accepisse constat. Deus autem sæpe autor fuit multis, ut longinquas peregrinationes susciperent, quod præcedenti capite ostensum est: & Poëtæ fingunt Aeneã à Mercurio, Vlyssem a Somno, ac alios heroas ab aliis diis ad peregrinandũ incitatos. Quod idem quoque Plato facit. Nam in eo libro quem de universitate (ut opinor) transtulit Cicero, sub persona sacerdotis Ægyptii, graviter objurgat Græcos neglectæ antiquitatis, & quod domi desides sint, ac

vocat eos παῖδας, ut ignorantiam illis exprobret. Nam ea ignorare quæ ante nos gesta sunt, & quorum vestigia aliqua adhuc conspiciuntur: quid aliud est (eodem Cicerone teste) quàm semper puerum esse.

Postremo nec illa quidem peregrinantibus impedimento esse debent, quæ ex Poëtis de vita beata adferuntur, aut quicquid aliud est hujusmodi, ut à peregrinatione aliquem absterrere queat, si aliàs aptus sit ad eam suscipiendam. Nam Ovidius justam conquerendi causam habuit de fortuna, qua abusus erat, ut vel invitus inter Getas exulare, non peregrinari cogeretur. Claudianus verò sub persona alterius loquitur, id quod inscriptio Epigrammatis apud eum indicat: & quidem hominis senis ac opulenti, aut alioquin pro frugalitate veterum, suis rebus contenti, & luxum ac varietatem rerum aspernantis. Deinde ambo, hisce versibus suis commendant vitam rusticam, eamq; strepitu forensi aut πολυπραγμοσύνῃ præferunt.

Quod

Quod enim iidem peregrinationem & experientiam rerum non vituperent, ex aliis illorum scriptis patet, in quibus paßim detestantur otium ignavum, maximè cum ipsos etiam peregrinatos esse constet. Nam Horatius Apulus natione, Athenis Philosophiæ operam dedit: Claudianus autem vixit sub Imperatore Theodosio, Alexandriæ Ægypti natus, Atque ut demus eos malè sensisse de peregrinatione, quod tamen aliter se habet, errassent utiq; in hac parte, cum certum sit neminem unquam magnum aut præclarum quiddam fecisse, nisi itidem peregrinatus sit, ut multorum exemplis præcedenti capite ostensum est. Quia magnæ aut præclaræ res, non nisi sapientia & cognitione rerum hominumq́; perficiuntur: hæc vero non in parvo aliquo mundi angulo conclusa, sed per totum orbem sparsa est, ut nihil mirum, si ad eam comparandam necessum sit, varias orbis partes diversaq́; terrarum loca adire. Extremum est & extra rem positum, quod περὶ τῆς αὐτοδιδασκαλίας *quidam contra peregrinationem*

tionem adferunt. Nam raro illa commendatur, & plerunq; παράδοξα gignit, unde hæreſes aut ſchiſmata oriuntur in religione, in Repub. diſſenſiones, in Philoſophia ac Medicina opiniones, & in aliis artibus aut rebus alia mala & incommoda, quæ φιλαυτίαν omnibus innatam nutriunt, & totis Rebuſpub. interdum exitium parant.

Reſponſio ad quæſtionem principalem, cui ſumma peregrinationis laus annexa eſt.

CAPVT VLTIMVM.

IAm vero non difficile erit reſpondere ad quæſtionem initio nobis propoſitā, & definire, plus ne emolumenti an verò detrimenti adferat peregrinatio. Nam ſi quis diligenter perpendat illa quæ hactenus diximus, intelliget utiq; eam pacis bellive tempore utiliſsimam eſſe, omnibus, qui ad virtutem contendunt, aut res magnas aggredi conantur. Nec probandam eſſe ſententiam eorum, qui obſcurè potius quàm cum laude aliqua domi vivere malunt, ut ille apud Claudianum

dianum rusticus, apud Homerum Polyphemus. Et quid aliud sibi volunt Poetæ per Calipso & Circen deas, ut ante indicavi, quàm curam voluptatum & obscuri ocii reprehendere, ac ut doceant Vlyssem, virumq; laudis ac gloriæ cupidum, nihil moveri ocio aut voluptatibus, sed totis viribus ad virtutem contendere, etiamsi ei mille pericula subeunda sint. Sic infinita mala pertulerunt Christophorus Columbarius & Vesputius, ejus partis orbis inventores, quam Americam vocant. At sempiternam sui memoriam pepererunt sibi ea re, atq; illa posteris tradiderunt, quæ ne esse quidem putabantur. Isti vero, de quibus supra diximus, Philosophi, Medici, Legislatores, Iurisconsulti, Reges, Bellatores, & Theologi, quam laudem ex peregrinatione sua non sunt consecuti? Quibus qui nō contentus est, addat iis plures summos viros, quos Franciscus Senensis refert, frequentes ac longinquas peregrinationes perfecisse, virtutis ac gloriæ causa.

Quin etiam fuerunt aliqui quos non

tam propria quàm aliorum virtus, potentia aut ſapientia ad peregrinandum commovit. Sicut ſacræ literæ teſtantur, Salomonis potentiam ac ſapientiã tantam fuiſſe, ut eius cognoſcendi cauſa, Reges Tharſi & Reginæ Arabiæ, ad eum acceſſerint, & ad Titum Livium eloquentiæ fontem, ab ultimis Hiſpaniæ Galliarumq́ꝫ finibus, nobiles quosdam veniſſe legimus, non urbis Romanæ potentia aut celebritate, ſed unius hominis fama permotos. Ipſe vidi Monachũ Bononiæ, qui in una Italia ſua perluſtranda annos novem inſumpſerat. Sed ne quis arbitretur fruſtra eum inſumpſiſſe tempus, ita eam perluſtravit & deſcripſit, ut nemo melius poßit vel literis vel penicillo exprimere, quando minutiſsima quæqꝫ in ea annotavit. Atqui ille Monachus erat, cuius vita ſolitaria eſſe debet, &, ut Gratianus ait, extra monaſterium nulla, quemadmodum nec extra aquam piſcis.

Ergo nec hypocriſis, nec ulla vitæ ſanctimonia prohibet, quo minus quis peregrinetur, ſi cum utilitate aliqua hone-

ſta,

sta, sui vel alterius id faciat. Nec probandi sunt illi, qui cum peregrinari possint, malunt tamen in otio obscuram vitam degere, quàm peregrinando laudem sibi parare. Quia non solum in amicos ac universam Rempub. peccant, verum etiam in se ipsos. Est enim ea natura humanæ mentis, ut desiderio cognoscendi perpetuò teneatur, nec unquam acquiescat uni rei tantum, sive illa cognitio per auditum contingat, sive per visum, nam hos habet disciplinæ sensus, ut Aristoteles inquit. Sed, Horatio teste,

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Imò plus energiæ habent ac firmius inhærent memoriæ quæ coram cernimus, quàm ea de quibus tantum audimus aliquid, etiamsi earum nulla sit utilitas, nulla jucunditas, nulla honestas. Docui autem peregrinationis utilitatem maximam esse in omni genere vitæ, nec de honestate illius dubitare quisquam potest, tot exemplis edoctus. Ac si ex labore non temere, sed justis de causis suscepto

cepto honestatem metiri volumus, certè peregrinatio, de qua nos hic loquimur, nulli facile cedet. Quosvis enim labores peregrinantes suscipere, & mala quævis experiri coguntur. Præterea quemadmodum isti, quorum interest peregrinari, nec tamen peregrinantur, rem turpem designant: sic peregrinationibus dediti rem honestissimam præstant. Nam hi pedibus rectè utuntur, illi abutuntur. Non enim ideo nobis pedes concessit natura & rerum omnium opifex Deus, ut tantum in nostra civitate vel patria oberremus, sed si res nostræ ferunt, exteras nationes etiam frequentemus: alioquin idem Deus & natura vias interclusissent, ac aditum ad peregrinas gentes prohibuissent. Quid vero jucundius esse potest quàm coram cernere, ea de quibus vel legisti aliquid vel audivisti ex aliis, & rursum mente contemplari quæ vidisti aliquando, atque ad usum transferre, ut de utilitate nihil dicam vel commoditate. Nam magna commoditas est, ad solidam eruditionem, vel quamcunque aliam artem perdiscendam,

ea loca petere, in quibus illæ artes florent & fideliter docentur. Vt nullam excusationem mereantur illi, quorum vita est cogitare, ut de Philosophis quibusdam ait Cicero, & qui domi suæ sapientiam sibi comparant, tanto metu perterriti, ne si peregrinentur cælum illos opprimat, aut terra dehiscat: cum majore cum fructu & rectius id quod cupiunt, ab exteris discere poßint. Præsertim si ipsis non desint sumtus, quibus alibi etiam quàm domi se sustentent. Ac plerunq; fit, ut qui ea persuasione domi se continent, quod nulla vita extra patriam jucunda sit, vel quod vereantur, ne mutato loco, mores quoque suos mutent. Ipsi tantum sibi sapiant, & alios præ se contemnant, opinione scientiæ inflati, qua nihil pejus est, nihil perniciosius.

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Et ubique reperias aliquid quod discas, aut quod usui esse potest. Certè adeò dulcis, utilis & gloriosa semper habita est exterarum regionum cognitio, ut

certum

certum sit, non aliam ob causam quàm amore & desiderio illius, atq; ut aliquid experientur, plerosq;, relicto natali solo, charis parentibus, conjugibus, liberis aut amicis, & quod majus est, relicta propria salute, cum maximis difficultatibus, periculis, curis ac angustiis, remotissimas interdum peregrinationes perfecisse.

Cum itaq; honesta, jucunda, utilis item & commoda sit peregrinatio, quem quæso, ad suscipiendam eam, aptum pudeat, exemplo tot Imperatorum, Regum, sapientum, bellatorum, ac aliorum summorum virorum qui peregrinati sunt, alienas terras invisere, & quàm remotissime peregrinari? Vnde peculiaria singularum gentium studia, mores, victus, vestitus, ratio ædificandi, locorum situs & cultus, præterea leges, dogmata sacra & profana omnia, deniq; rerum omnium naturæ cognoscuntur. Sed ut ante admonui, oportet eum qui id facit, cautum esse, & Vlyssis aut Æneæ personam exprimere: vel si hoc facere nequit, Achates atq; Nestoras habere,

quorum consiliis obtemperet, rectè vivat, & sospes in patriam redeat: cui omnes nati sumus, & cum laude possumus debemusq́; præesse post tot rerum variarum cognitionem: si pietatem colimus, studemus virtuti, & si nullo labore, nullis periculorum procellis defatigamur.

PRiore libro ad quæstionem initio propositam respondi, per ea præcepta quæ ad peregrinationem rectè instituendam & feliciter perficiendam, sufficere arbitror. Nam si illa diligenter obseruentur, & eo ordine quo à nobis tradita sunt, & quid præterea fatale inter peregrinandum accidat, non tam negligentia humana, quàm æterni Dei voluntate fieri censendum erit. Ea enim est vitæ nostræ conditio, ut eadem infinitis malis objecta sit, nec quisquam unquam fuit, qui ex omni parte beatus esset, nedum mortem effugeret. Quo magis æquo animo ferendi sunt omnes casus & fortunæ insultus, ac putandum nihil nobis accidere posse, quod non aliquando etiam acciderit aliis. Cum autem exempla præceptis lucem adferant, & res ipsas clariores reddant, ut Iurisconsultus ait: operæ precium me facturum puto, si, quæ generaliter admonui in omni peregrinatione consideranda esse, ea exemplo aliquo declarem. Quod ut eò libentius faciam, partim

earum rerum memoria efficit, quas vel ipſe vidi in diverſis locis, vel audivi ex aliis: partim ipſa antiquitatis majeſtas ac cognitio, quæ per ſe jucunda eſſe ſolet, tum vero omnibus grata. Præterea utilis ad interpretationem bonorum autorum, ſive de Poëſi loquamur, ſive de hiſtoria. Attingam igitur, hoc ſecundo libro, ea quæ in agro Neapolitano viſu digna ſunt, quod vix alius locus ſit Chriſtianæ religionis, ut ego quidem arbitror, in univerſa Europa noſtra, ſalubritate aëris, ſitu, amœnitate, copia rerum, & polita hominum cultura, par huic & æqualis. Deinde quod celebris ſit optimorum autorum ſcriptis, Virgilii ac Livii: poſtremò quod exiſtimem me his quoque rem gratam facturum meo hoc labore, qui ipſi aliquando eam Italiæ oram perluſtraturi ſunt. Si enim noſtra hæc legerint, poterunt omnia exquiſitius & diligentiore cura inſpicere admoniti, & comperient rem ita ſe habere. Non tamen id ago hac indicatione, ut quaſi per τοπογραφίαν quandam exactè deſcribam totum eum tractum agri

Neapolitani, quē proprio nomine Campaniam ſelicem vocant, nam hoc ad officium Coſmographi pertinet: ſed ea tantum annotabo, quæ antiquitatem ſapiunt, et præ cæteris admirationem aliquā habent. Quare etiam illa non per capita diſtinguam, ſed grata veteris memoriæ renovatione, indicabo eo ordine quo a nobis conſpecta ſunt, ſine omni verborum fuco aut rerum falſitate: tum quod orationem veritatis ſimplicem eſſe deceat, tum quod ipſa narratio hoc requirat, & veritas hiſtoriæ fundamentum ſit.

Portus Bajanus.

CVm igitur ex agro Romano ad ſextum lapidem ab urbe Neapolitana veniſſemus: vidimus locum, quem la peſcina mirabile vocant Itali. Ingrediebamur molem quandam, in ædificium grande, oblongum, quadrangulare ac fornicatum, ut ita dicam, & templi formam præ ſe ferens. Habebat id in longitudine quatuor ordines columnarū quadratarum, quib. fornices ſuſtinebantur, & quilibet ordo continebat columnas

XII.

XII. ut essent numero XLVIII. diversæ magnitudinis & figuræ. Quod cum mirum videretur his, qui unà mecum has antiquitates perlustrabant: nihil mirum est, inquam, cum gravißimi autores literis mandarint, Dianæ Ephesinæ templum CXXIII. columnas habuisse, quarum quælibet pedes LX. alta esset. Descendebamus autem, duobus gradibus, undiq; continuis, Sed fenestræ nullæ aderant, nec ullum aliquod illarum indicium, & lumen Solis hinc inde per rimas incidebat, alioquin ædificium ipsum satis integrum erat. Itaq; ne divinare quidem licebat, in quem usum olim extructum fuisset, multò minus asseverare. Sunt qui putant fuisse piscinam, cum ex forma illius loci, tum ex Plinio, qui scribit apud Baulos in parte Bajana, piscinam habuisse Hortensiũ Oratorem pro murenis, quarum unam, adeo perditè dilexerit ut mortuam deflesse diceretur. Blondus Luculli domum fuisse existimat. Alii scribunt Antoniam uxorem Drusi, murenis illud ædificium extruxisse. Quanti autem piscium

um vivaria, & in primis murenarum à veteribus æstimata fuerint, ex probatissimis autoribus intelligi potest, et conjecturam nobis augebat, quod in ipso monte seu colle potius, illa adhuc conspiciebantur, quæ apud eundem Plinium leguntur, cum ait, veteres, ut Lucullum & Hortensium, montes summis impendiis excidisse, quo mare admitterent.

Centum cellæ.

H*Ac mole egressi pervenimus alle cento camerelle. Qui locus ex opposito prioris est, sic dictus quod nihil aliud præter cameras vel cellulas in se contineat, una subinde in alias ducente. Situs ejus in colle est hodie. An autem olim quoq; fuerit, dubito propter ruinas et fornices, quorum aliquot sejuncti sunt a reliqua structura ædificii, ut vero simile sit multo capacius fuisse aliquando & elegantius. Has igitur ingressi ruinas, iterum pervenimus ad ædificium amplum, quadratum ac columnis quadratis ordine quadruplici constructum: ad quarum unam foramen erat, per*

quod hospes noster & dux inspectionis huius antiquitatum, se demittebat, ut nos in eo exciperet, & descensuris opem ferret. Tum vero in ambitum quendam veniebamus plenum cellulis, ut vocant, quæ ipsæ quoque omnes forma quadrata erant, sed aliæ aliis capaciores. Inde in alias cellulas & ambitus patebat via, distinguebatur enim pluribus anfractibus ipsum ædificium. Erat præterea adeo intricatum propter similitudinem cellularum, ut non sine causa quidam putarint olim labyrinthum fuisse, è quorum numero est Antonius de Rußis Calaber, quem tamen existimo forma potius commotum ut ita sentiret, quàm aliis circumstantiis. Leander Bononiensis putat fuisse cisternam seu locum, in quo aqua servabatur apud veteres. Ego vero nullum argumentũ vidi, ex quo usum illius conjicerem, nulla cardinum vestigia in cellularum foribus, quas humiles & angustas habent, nusquam fenestræ erant, aut illarum loco aliquid: Intus autem omnia gypso albicabant, & passim reperiebatur terra congesta altitudine

dine ſemicubiti, ut in antro Sibyllæ, de quo paulò pòſt dicemus.

Mons Canita.

ERgo hoc loco etiam relicto, ingrediebamur cymbam, quam habebamus in promptu, & præternavigabamus montem, Canita dictum Italis, juxta quem in vicino ſcopulo montem adæquante, ſeparato tamen ab eodem, arx erat miro ingenio extructa, forma ſitus rara, ad cujus radicem ampliſsima ædificia cernebantur, ſed ob vetuſtatem magna ex parte collapſa. In his ferunt olim habitationem Tulliæ fuiſſe.

Lacus Averni.

APpulimus deinde ad littus Bajanum, & navi egreſsi, juxta frequentiſsimas ædificiorum ruinas deambulabamus, vepribus obductas, usq; ad lacũ Averni. Is velut in ſeceſſu quodam eſt, collibus verius quàm montibus ſeptus, figuræ orbicularis juſtæ magnitudinis, in quo nautæ negant fundum reperiri poſſe. Accepit autem nomen à gravißi-

vißimo exhalationum odore qui ex ipso ascendit, & avibus perniciosißimus est, ut Virgilius annotavit, cum ait:

Inde ubi venere ad fauces grave olentis A-
Tollunt se celeres. (verni,

Et paulò pòst:

Quam super haud ullæ poterant impunè
volucres
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus offundens, supera ad convexa ferebat,
Vnde locum Graii dixerunt nomine ἄορνον.

Ad colles illius sunt ædificia nostræ ætatis ferè, satis pulchra, sed propemodum thermæ. Plinius annotavit juxta hunc lacum Cimmeriorum oppidum fuisse, quorum labor erat ut metalla è cavernis terræ effoderent, nec unquam conspicerentur à Sole, Homero teste. Ego verò non ausim affirmare ruinas, quæ in hoc littore cernuntur, inde restare, etsi nulli dubium sit, quin eo in loco oppidum aliquando fuerit. Sunt autem Averno vicinæ, & ut Vergilius ait, est ad sinistram harum ruinarum, juxta lacum.

Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,

Vnde

Vnde ruunt totidē voces, reſponſa Sibyllæ.

Deſcendendum ad radicem montis, ubi tenebroſus ingreſſus in ſpecum, in quem nos funalibus accenſis ingrediebamur, Mercurium noſtrum ſequentes. Erat is ingreſſus initio ſatis latus & altus, poſt aliquanto fiebat anguſtior, tandem rurſum ſe dilatabat in planiciem, cuius longitudo LX. paſſuum ferè, latitudo X. Inde via in concamerationes aliquot, miras & centum illis ſuperioribus prorſus diſsimiles. Nam majores ſunt & altiores. Præterea alio ordine, & inæquali ſoli planicie inter ſe diſtant, habent aditus nunc acclives nunc declives, parietes vetuſtate corruptos & ſqualidos, unde totus locus aſpectu horridus. Eſt inter has, ſive cellulas ſive concamerationes, una quam Sibyllam inhabitaſſe perhibent, quadrata forma olim Muſeaco opere ornata, ut Bacchi templum juxta Romam. Ac licet teſſerulæ emblematum omnes propemodum inde exemptæ ſint, ab his qui cognoſcendarum antiquitatum ſtudio iſtic fuere: conſpiciuntur tamen in ea adhuc paſsim

vestigia quædam veteris ornatus, quo argumento moti Sibyllæ eam tribuunt. Quia omnium elegantißima est, & loco Averni vicina, undiq; continua cæteris cellulis, unico ostiolo patens. E regione autem ostii arcus est in muro vel pariete ea forma ac si caminus fuisset, qui tamen eo in loco esse non potuit. Porrò ex hac cellula itur in aliud conclave, quasi in aululam quandam, cujus latitudo passuum octo, longitudo circiter viginti duorum. In qua cum tantam copiam vespertilionum inveniremus, ut glomeratim parietibus adhærerent, & conspecto funali nobis molesti essent, pedem inde retroferre cogebamur, eademq; via reverti, qua ingreßi eramus has sive cellulas sive concamerationes. Mirum autem quantum illæ judicium spectatorum perturbent, ut vix idæam aliquam totius hujus ædificii mente concipere poßis. Sunt in iis interdum parietes intermedii, in parte superiore aperti, et in aliquibus illarum reperitur subinde terra congesta, ut in aliis 100. cellulis, de quibus supra dixi. Animadverti

verti quoq; nostrum in eas ingressum, recenter inventum esse, nec tamen alium vidi, qui olim in usu fuisset, & sunt hæ cellulæ omnes medio in monte extructæ, nec lumen ullum cœli habent. Itaq; nulla conjectura, nullis argumentis assequi potuimus, quidnam aliquando fuerit totum hoc ædificium, aut in quem usum constructum.

Academia Ciceronis villa & Thermæ.

EXtra hæc montium aut collium septa, quæ Averni locũ ambiunt Puteolos versus, Academia Ciceronis villa olim fuit, porticu & nemore insignis, nunc eo in loco sunt Thermæ ejusdem Ciceronis nomine celebres. Cœperunt autem hæ post obitum illius sub Antistio quodam successore in eadem villa: & versibus eos celebravit Laurea Ciceronis libertus in honorem patroni, ut Plinius scribit. Itali vocant Ibagni di Tritoli.

Situs illarũ amœnissimus, et ad radicem collis domus aliquot positæ, aliæ ali-

is elegantiores, pleræque humiles, & bona ex parte desertæ. Mense Majo tamen incoluntur, confluit enim tum temporis ad eas Thermas magna multitudo hominum, sanitatis conservandæ causa, vel etiam recuperandæ, eò quod saluberrimæ sint propter varietatem metallorum, sulphuris, nitri, salis, ac bituminis, quo titulo etiam Plinius eas commendat, & addit quosdam solo vapore prodesse.

Cumæ.

D*Istant ab his Thermis Cumæ tertio propemodũ lapide, de qua quidem urbe verè dici potest id quod in proverbio est, Cuma fuit. Nam ex tam ampla ac celebri urbe, nihil ferè nunc restat, præter ruinas, quas pauci aliquot piscatores inhabitant; & monumenta quædam, sed vetusta admodum ac consideratione digna, præsertim in eo loco, quem Locavallo nominant. Est et arcus triumphalis ibi satis integer, & templum Apollinis, de quo ita scripsit Vergilius:*

At

At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul responsa Sibyllæ &c.

Livius testatur, hanc urbem a Cumæis Euboiæ populis & Chalcidensibus extructam, Strabo vero non tam ab eo seculo illam commendat, quo extructa est, vel ab ipsis fundatoribus: quàm a monumentis et antiquitatibus. Ait enim sumptu illarum atque copia, præcelluisse omnibus aliis Italiæ civitatibus. Quo minus falsum illud est quod Blondus scripsit, una Roma excepta nullibi in Europa reperiri tot sumtuosissimorum ædificiorum ruinas, quot intra Cumam & Bajas: nec dubium quin opulentissima ac populosissima olim hæc urbs fuerit. Constat enim Parthenopen vel Neapolim ex ea cepisse, missis inde in hanc civibus. Postea verò ab iisdem Cumæis eversam, quod opes illius indies augerentur. Quo facto scribunt gravem pestem agrum Cumanum invasisse, cujus cum neq; finis ullus esset, nec incolæ illius remediumullum invenirent, quo tantum malum depellerent:

fama est eos oraculum consuluisse, quod respondit, causam pestis esse Parthenopen, nec prius desituram, nisi eam urbem reædificassent, ac restituissent in pristinum statum. Quod cum fecissent, pestem quidem desiisse, sed urbem postea populi seditione, & terræmotu vexatam atq; viribus exhaustam quasi matrem obiisse, relicta filia urbe Neapolitana, quæ verè hodiè vivit.

Iam verò ad portum Bajanum revertebamur, cuius Agrippa autor fuit, ut Dion Caßius scribit, in quo cymbam nostram reliqueramus, Puteolos navigaturi. Cum inter navigandum nobis sese offerunt præalti mõtes, ad quorum radices erant continuæ ædificiorum ruinæ, unde facilè conjiciebamus, eo in loco ingens oppidum aliquando fuisse, sed frequenti terræmotu dejectum & desertum ab incolis. Apparebat enim expressa figura devastatæ urbis vel oppidi, jamq; arbustis & vepribus frondescentis, pauca ædificia inhabitabantur a pauperibus quibusdam naviculariis, quod portus ibi satis tutus sit. Hæc cum

viderem, venit mihi in mentē ejus, quod alicubi Servius Sulpitius ad Ciceronem scribit, cum ex Asia aliquando reverteretur, & ab Aegina Megaram versus navigaret, cadaveribus oppidorum se circumdatum fuisse. Erant enim ante nos vestigia illius civitatis, de qua modo dixi, à tergo Cuma, ad alterum latus Bajæ, nec longe aberant Puteoli, quæ oppida cum quodam tempore florentissima fuissent, nunc prostrata jacent ante oculos. Itaque mirabar conditionem ac fortunam rerum humanarum, & cogitabam, quid de nostris regionibus aliquando futurum esset, quæ uti neq; ita excultæ sunt, neq; tantis opibus refertæ, neque fama adeo celebres ut istæ olim: eò facilius eas posse interire. Memineram etiam illius, quod apud Batavos antea, in Oceano Germanico & Selandiæ insulis videram, pagos aliquot oppidaq́; submersa, quorum turres & editiora loca passim sese è mari attollerent, tanquam speculæ quædam, evidens argumentum fragilitatis humanæ, & quàm nihil stabile aut perpetuum sit in vita.

Sic

Sic Pyrrham & Antissam urbes circa Meotin, sic Elicem ac Burim in sinu Corinthiaco, pontus abstulit, quorum vestigia in alto nunc apparent, inquit Plinius: & noti de iis sunt versus Ovid.

Si quæras Helicē & Burin Achæidas urbes
Invenies sub aquis, & adhuc ostēdere nautæ
Inclinata solent, cū mœnibus, oppida, mersis.

Thermæ.

ERgo his quoq; ruinis relictis, continuum montium tractum in eodem littore sequentes, pervenimus ad montem, in quo iterum Thermæ erant. Is cum intus haud dubiè vehementer ardeat, foris tamen nihil tale præ se fert. Ingrediebamur autem in ipso, primum amplam & præaltam cameram, cujus parietes & fornix antiquo ac vermiculato opere olim ornatæ fuere, id quod reliquiæ illius testantur. Habet hæc camera aditum satis amplum, & intus ad utrumq; parietem lectisternia murata, quibus pulvinaria imponuntur, ut qui lavarunt in iis quiescant. In ipso porrò ingressu duo labra quadrata, & è regio-

ne ipsas Thermas duos pedes profundas, egregiè temperatas, nullius gravi odoris, nec quicquam sulphuris habentes, sed nitrosas ac aluminosas tantum. Est autem specus patula, è qua aqua erumpit, tam commode excavata, ut plures simul in ea lavare queant: verum quanto longius in ea procedis, tantò ferventior est ipsa aqua. Ferunt hæc balnea saluberrima esse, præterquam quod amœna quoq; sunt propter vicini maris undas, è quibus murmura & susurri gratissimi excitantur. Extra hanc specum scala est plus minus XX. graduum, per quos obliquè ascenditur ad sudatorium, sic enim vulgari lingua vocant. In illud ingressus patet antri instar satis altus, non tamen latus, lumen cœli passim per foramina excipiens, ut sine tæda vel face in eo progredi aliquantulum possis. Inde duplex via, quarum illa, quæ ad sinistram est, multa lectisternia murata continet, ejusdem utilitatis cum superioribus, & tota protenditur in montis latus, ac in prærupta quadam eius parte desinit: altera ad viscera montis incli-

inclinat, ut verisimile sit in ardentissimis ipsius cavernis eam desinere. Nos accenso funali tantum progrediebamur in ea, quantum præ calore poteramus. Ac initio quidem tantũ teporem quendam sentiebamus, post ulterius in ea progredientes calorem magnum, qui cum superiora peteret, mire offendebat caput, atq; eo magis quo progrediremur longius, ut humi aliquantisper repere cogeremur. Cum igitur sudore propemodum difflueremus, licet omnibus vestibus exuti, ac funale nimio æstu liquesceret, pedem retroferre cogebamur: & eadem via reversi qua ingreßi eramus, in inferioris partis huius montis balneis nos abluebamus, de quibus paulo antè diximus.

Fons marinus & via Attellana.

P*Orro intra hunc locum & Puteolos duo alia vidimus digna quæ annotentur. Alterum erat fons marinus, alterum via Attellana, ut vocant. Prosilit è mari, viva ac limpidißima aqua, sapore*

ſapore dulcis, altitudine duorũ pedum, magnitudine capitis humani. Ejus cauſam exiſtimo ſubterraneos quoſdã meatus, qui illam aquam ex vicino littore deducunt in eum locum ubi erumpit. Idem cenſet Leander Bononienſis, perdoctus Monachus, & quo nemo diligentius Italiam deſcripſit, meo quidem judicio. Fieri tamen potuit, quod olim, cum iſte locus eſſet continens, ex alio quodam loco ab incolis hujus per canales pulveris Puteolani, aqua viva deducta fuerit, qua illi fontis vice uſi ſint, poſtea vicinum mare eruperit, ac totum eam occupaverit terram, unde adhuc fons hic ſuperſit. Ejicit autem aquam tanta copia, ut longo intervallo eandem fluentem conſpiceremus, ab aqua marina diſtinctam, quod eſſet purior & fontanæ ſimilior. Sed poſtremum hoc antea videram ad Dordracum Hollandiæ oppidum, ubi Moſa (ni fallor) ſimili impetu in Oceanum Germanicum fertur, latitudine trium ferè perticarum.

Plinius annotavit, in Bajano littore alicubi aquã calidã è mari proſilire, de

que

quo ego nihil compertum habeo. De via Attellana ſciendum, eſſe eam ab utraq; parte plenam collapſarum tabernularum, quarum forma partim quadrata, partim rotunda: & ſunt in his tabernulis teſtudines vel arcus, in quibus loculi & urnæ conſpiciuntur, ut conjiceremus illa ædificia olim ſepulturæ deſtinata fuiſſe. Quamvis accolæ illius loci in eum uſum illa extructa dicebant, ut res venales in iis haberentur, & ex ea perſuaſione vulgari lingua vocant il mercato di Sabato. Certum enim eſt, demortuorum hominum corpora apud veteres comburi ſolita, & cineres in urnas reconditos. Illud mirum, quod quidam è ſociis noſtris, ex urna quadam, eximebat partem cranii capitis humani, miræ denſitatis. Nam indicium erat, non cineres tantum, verum oſſa quoque cadaverum aliquando hiſce loculis conſervata fuiſſe, poſtquam caro illorum à Sarcophagis conſumta eſſet. Erat hæc cranii portio, contactu initio ſatis dura, quàm primũ vero aërem ſentiret molleſcebat, & tandem in pulverem reſolvebatur.

batur. Sed relinquamus mortuos, nec oßibus inferamus bellum.

Prius autem quam Puteolas veniremus, incidimus in eos qui alumen conficiunt. Hi è vicinis collibus excisos lapillos in fornice coquunt, quibus coacervatis per dies aliquot suffundunt aquã e puteis haustam, ut in ea macerentur instar calcis, & in cineres redigantur. Porro ex his cineribus lixivium faciunt, quod vasis ligneis infundunt. Id vero circum oras vasis se in densitatem colligit, atq; adhærendo undequaq; concrescit in morem glaciei: Tandem certis instrumentis illam materiam inde eximunt, ac usui reservant. Non longè ab hoc loco sunt Thermæ, quas Itali vocant, I bagni d' Agnano, quæ licet casas humiles habeant: ob salubritatem tamen valdè commendantur: & certum est quotannis eas vere novo frequentari à Prorege Neapolitano & aliis proceribus illius regni. Est in iisdem collibus & littore propè has Thermas locus, quem Itali vocant la grotta del can, nos antrum caninum possumus reddere,

specus plenus lethalis aëris, & qui nullum animantium genus vivum ferat. Eius altitudo pedes VIII. aut IX. latitudo circiter VI. nec ultra passus IIII. in ipsam collem protenditur, ac deorsum paulatim declinat, calidum humidumq; spiritum exhalans, quod vel manu immissa deprehendere licet. Accepit autem ex eo nomen, quod quicunq; illuc veniunt, experimenti causa, canem aliquem in illum protrudere soleant: quem cum mortuo similem confestim extrahant, & aqua perfundant è vicino lacu sumta, vitæ & vigori pristino restituunt. Nos præter canem ranas quoq; in eum projiciebamus grandes admodum, quæ, quoniam non statim resilibant, venenoso illo halitu necabantur. Plinius ait in Suessano Puteolanoq; agro reperiri specus, quos spiracula vocent, alii Cheroneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes, quorum hic unus esse potest.

Forum Vulcani.

N*On procul ab hoc loco planicies ampla conspicitur figuræ circularis, sul-*

ſulphure tota flaveſcens, quæ ipſa quoque lacum peculiarem habet, ſed non magnum. Cum ergo ſoli illius materia ex mero ſulphure conſtet, eademq; accenſa ebulliat, Strabo eum locum forum Vulcani appellavit: alii campum Phlegri nominarunt, ut Virgilius. Prope lacum cernuntur tuguriola aliquot è frondibus conſtructa, & juxta eas fornices in quibus ſulphur coquunt. Ab his ſi ad lacunas ipſas progrediatur (vix enim merentur nomen lacus) vides illas denſiſsimum fumum evaporare, & aquam ferventiſsimam ebullire. Fama eſt, nec à vero diſſentit, ſi animal aliquod in eas projicias, & parva mora interpoſita, idem inde rurſum eximas, præter oſſa nihil reperiri: ferunt etiam de ovis neſcio quid.

Conſpiciuntur autem circa has lacunas, infinitæ cruces ligneæ, quas in extrema illarum ora, quaſi metas quasdam inſtar columnarum Herculis, poſuerunt audaculi quidam, cum acceſſus ad eas valde periculoſus ſit.

Nam quocunq; incedas, percipis au-

ditu ſubterraneam concavitatem, è qua ex improviſo interdum erumpunt ſulphureæ flammæ, & pœnam ſumunt de audaculis iſtis. Quia levis & arida eſt illius ſoli ſuperficies, nec ubivis in ea expaciari licet. Scio Plinium naturalis hiſtoriæ ſcriptorem multis ſuſpectũ, quod Græcorum more, falſa veris miſcuerit. At nos vidimus iſta, & ideo majorem fidem ei adhibemus, de his aut ſimilibus rebus diſſerenti. Veriſſimum enim eſt quod ille alicubi præclare ait, diffuſam per omnia naturam ſubinde aliter atq; aliter tanq̃ numen quoddam erumpere.

Puteolis.

CVm ex hac ampla et profunda planicie in collem redis, vides in radice eiusdem amœniſsimum locum, & ad littus maris Puteolos. Putant autem Puteolos a puteis dictos, quod olim magna copia illorum ibi eſſet, ſive Latinam derivationem ſequamur, ſive Italicam. Pozzo enim puteum ſonat Italis: vel etiam a gravi odore aut fœtore, qui e vicinis mineris, ſulphuris ſcilicet

&

& aluminis evaporat. Vetusti scriptores Dicearchium appellant hoc oppidū. Et quanquam aliqui de situ illius contenderint, putarintq; eo in loco olim fuisse, ubi nunc sunt ruinæ, nimirum in radice collis, vel paulò remotius, tamen descriptio veterum, errorem hunc convincit: & verius est in colle fuisse, in quo etiam hoc tempore adhuc sunt præcipua ædificia: quanquam fieri potest cæteras ruinas partem aliquam illius fuisse, vel suburbia, aut loca suburbio vicina. In ipso oppido nihil ferè visu dignum præter templum, quod antiquissimum est, ac ea industria extructum, ut facilè agnoscas Ethnicum fuisse. Sunt præterea ei insculpta nomina Architectorum, ac illius cuius in honorem extructum fuit. Cernuntur & ossa ibidem prægrandia corporis humani, quibus Pomponius Lætus diligentissimus indagator antiquitatis hanc inscriptionem fecit:

Huc quicunq; venis, stupefactus, ad ossa Gigantum,
Cur sint Hetrusco condita, disce, solo.
Tempore, quo domitis jam victor agebat Iberis,

Alcides, captum longa per arua pecus.
Colle Dicarcheo, clavaq; arcuq; Typhones
Expulit, & cessit noxia turba Deo.
Hydruntemque petit pars altera, & altera
Thuscos,
Interiit victus terror uterq; loco.
Hinc bona posteritas, immania corpora ser-
Et tales mundo testificatur avos. (vat,

Incolæ hujus oppidi omnes ferè sunt piscatores, & magnum quæstum percipiunt ex iis qui videndarum antiquitatum causa eò veniunt. Locant enim illis operas suas, & monstrant antiquitates in toto illo tractu maris. Extra oppidum sunt monasteria aliquot, et palatia nobilium satis elegantia. Conspiciuntur quoq; vestigia antiquißimorum ædificiorum Romanorum: cum certum sit urbis Romanæ proceres in his & vicinis locis, de quibus hactenus dixi, delicias suas habuisse, tam ex epistolis Ciceronis, quàm ex Polybio, Dionysio Halicarnassæo & Livio.

In horto Franciscanorum terminus est visu dignus: juxta oppidum fornices & concamerationes aliquot, quas putant thermas fuisse. Si ascendis ad monasterium

nasterium, vides tres egregias columnas: sin ex eodem descendis, Amphitheatrum amplissimum, forma ovali, foris Romano illo corruptius, sed intus integrius. Nam & sedilia habet, quamvis aliquibus in locis terra vel arbustis obruta, & ambitum muri integrum valdè altum. Ego hoc Amphitheatrum unum esse existimo ex præcipuis Romanæ antiquitatis, quæ adhuc extant. Non longe ab illo est aliud ædificium concameratum miræ artis ac structuræ, multis cellulis distinctum, una subinde in alias ducente. Habent enim singulæ cellulæ portas IIII. per quas in conjunctas & vicinas itur, unde suspicor olim Labyrinthum fuisse, Itali vocant le camerelle. Cernuntur præterea in sinu Puteolano, ingentes pilæ maximi pontis, è littore Puteolano in oppositum littus maris constructi à Caligula Imperatore, ut Suetonius scribit & Dion Cassius. Item insula Crape, vel ut Dion eam vocat Caprea, in quã Tiberius se recepit, cum solitudinem quæreret, plebis conspectum fugiens.

Mons e terra erumpens.

Illud ſilentio prætereundum non eſt, quod in eo loco agri Puteolani, quem Tripergulam vocant, & juxta quem Academiã, Ciceronis villam olim fuiſſe ſupra dixi, ante paucos annos, nimirum anno Chriſti M D XXXVIII. mons quidam eruperit è terra, qui adhuc extat, et in ambitu circiter quatuor millia paſſuum continet. Præceſſerunt eum per aliquot dies continui terræmotus, & incendia materiæ ſulphureæ, illiusq; liquoris, quem vulgo oleum petræ vocant. Poſtea excreſcente igne in juſtam flammam, & materia aliquantulum conſumta, ſecutæ ſunt ejaculationes cinerũ & lapidum, importuniſsimi venti, & tanta aëris perturbatio, ut tota mundi machina ruitura putaretur. Quæ omnia diligenter annotavit Leander Bononienſis, et ante eum Salernitanus quidam lingua Italica ejus tragœdiæ ſpectator. Scripſit quoq; Simon Portius de ea re libellum, cui titulus de incendio agri Neapolitani. Et quanquam hoc mirandum ſpectaculum Dei opus fuit, na-

turam

turam inferiorem gubernantis: tamen causæ illius perpendendæ sunt, si quæ in natura esse possunt. Verisimile autem est causam eius rei fuisse halitus adeo acres & potentes terræ inclusos, ut ipsam vi sua potuerint attollere, cumq; terra propter pondus suum iisdem fortiter repugnaverit, ab illis extra locum suum magno impetu protrusam esse. Nam talium exhalationum ingentem copiam fuisse, argumento fuêre ejaculationes cinerum & lapidum, quæ indicarunt terram ipsam bona ex parte consumtam, & in aërem resolutam. Sicut Ovidius testatur eruptione spirituum e terra, ad Trœzenam urbem tumulum ex area factum, his verbis:

Est prope Pytheam tumulus Trozena, sine ullis
Arduus arboribus, quondã planissima campi
Area, nunc tumulus.

Et possunt in aquis novæ insulæ fieri, non tamen eadem ex causa, quẽadmodũ Seneca scribit sua ætate, Theron et Theream insulas in mari natas, non per alluvionem aliquam, ut Echinades olim, de quibus Plinius aliquid annotavit,

aut Ægyptus, quam fluvii donũ vocat Herodotus: sed eruptione quadam, & multis hominibus spectantibus. Nam exhalationes aut venti adeo vehementes interdum sunt, ut extra aquam etiam terram ipsam elevent. Sic Ovidius scribit, ex injectis ramentis in Tyberi insulam natam. Nec ratione physica caret tota hæc metamorphosis: sed nemo melius indicavit eius rei causas, quàm Strabo, cum ait, quoniam omnia continuo moventur ac transmutantur, existimandum esse, nec terrã semper permanere, ita ut nihil ei vel addatur vel adimatur: nec etiam aquam: cum transmutatio eis cognata sit & naturalis. Nunc ad urbẽ Neapolitanã accedamus.

Mons Pausilypus.

PRofecturis igitur Neapolim ex agro Puteolano, ultimo lapide ab urbe transeundus est mons, quem Pausilypũ vocat Plinius. Is excavatus, planum in inferiore sui parte directumq; transitum habet: longitudinis dimidii miliaris Italici, vel majoris aliquantulum:

latitudinis tantæ, ut duo currus mercibus onusti unà transire cõmodè poßint: altitudinis imparis. Sub utrunq; enim ingressum (qui formam portarum habent) ita patet, ut equo insidens aliquis erecta hasta in eam ingrediatur, nec attingat fornicem. Intus autem imminuitur aliquantulum ista altitudo, & staturam trium hominum non excedit. Est autem hic mons summa industria excavatus, lateribus utrinque planis et æqualibus, fornicatim coëuntibus, habens ab utraq; parte sub ingressum foramen, per quod lumen Solis incidit, sub mediũ luce omni caret. Vnde moris est, cum duo simul pluresve equis vel curribus eo in loco sibi invicem occurrunt, ut alla montagna, vel alla marina clamitent, hoc est, montem vel mare versus, ut quisq; illorum sciat in quam partem declinare debeat. Vulgo putatur, si quis in hoc specu occidat aliquem, eum nullo modo posse egredi, idque usu compertum ajunt. Dum ex hoc specu egrederis Neapolim versus, offerunt se duo fana divæ Virgini dicata, quorum alterum recens

extructum donariis clarere incipit, propter Divam miraculis insignem, alterum ferè negligitur, cum olim celeberrimum esset. Quod ideo fieri intelleximus, quod gradus, per quos in vicinum montem ascensus patebat, hodiè in inferiori parte abrupti sint, olim autē eam commoditatem multis matronis præstarent, ut illorum beneficio, eædem in arbusta illius montis deflecterent, & prætextu religionis Venerem potius quàm divā Virginem colerent. Iuxta primum sacellum aut fanum, sepulchrum Vergilii Maronis monstratur, alii putant in hortis monasterii, supra montem extare, cum hac inscriptione:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura, Duces.

Ac vero simile est eo in loco Maronem sepultum fuisse in sacello quodam quod adhuc superest, sed versus in eo deleti sunt, ut hinc inde ex iis vix literam aliquam agnoscas, monumentum vero nullum conspicitur, unde veritatem deprehendas. Monachi dicunt fuisse

ſupra ſepulchrum ſtatuam æneam, aſtu ſublatam à Mantuanis, & ab illis adhuc hodiè aſſervari. Quod an verum ſit neſcio. Vidimus quidem nos in ea urbe inter alia multa, antiquiſſimam ſtatuam, cui prædicti verſus inſculpti erant, ſed an illa eò aliunde translata eſſet, non potuimus reſciſcere. Scribunt pari modo Ennio Poëtæ olim à Scipionibus ſtatuam poſitam. Non longè ab hoc ſepulchro, quod Maroni deſtinatur, eſt ſepulcrum Iacobi Sannazarii, cujus erudita opera extant, huic ſequentes verſus inſcripti ſunt, quorum Bembus autor eſſe perhibetur:

Da ſacro cineri flores, hic ille Maroni
 Sincerus Muſa proximus, ut tumulo.

NEAPOLIS VRBS.

T*Ransgreſſo itaque monte Pauſilipo, Neapolis conſpicitur, Regia urbs, & illius regni Metropolis. Hæc primum Parthenope dicta eſt, cũ à Cumanis extrueretur, ut ſupra ajebam, unde Silius.*

Sirenum dedit una tuũ memorabile nomen
Parthenope, muris Acheloias, æquore cujus
Regnavere diu cantus, cum dulce per undas

Exitiũ miseris caneret non prospera nautis.

Horti.

SVnt ab ipso monte ad urbẽ usq; prædia suburbana nobilium, quorum horti elegantißimi. Primum enim aquæ copia abundant, eo studio aut industria ad profluendum fabricatæ, ut etiam ex arboribus aliquando prosiliat in vasa marmorea. In quibus nunc Neptunus navigat aquam tridente velut undas maris percutiens, nunc Najades aut Æolus cernuntur. Adsunt & Fauni et Satyri ex conchis marinis facti, ea arte ut sculpti pictive putentur magis quàm compositi è tesserulis, ita omnia in iis nativum colorẽ referunt. Nec desunt Labirynthi, in quibus aqua per varios anfractus decurrit, modo hac, modo illac. Fontes autem in illis ad formam specus constructi sunt è lapidibus à salsugine aquæ marinæ exesis, ut aqua p̃ eos paulatim stillet, quod admodum jucundum aspectu est. Habent enim ipsi lapides colorem nivis aut glaciei, tum etiam ornantur aliis rebus vermiculatis, gorgonia,

nia,

nia, margaritiferis, ac herbis quarũ semina humore nutrita, inter medios lapides pullulant. Decurrit quoq; aqua è fontibus in hortos per canales pavimenti, quod marmoreũ plerunq; est, vel ex tessserulis constructum, sed nihil lædit pavimentum. Sunt et ipsi canales ampli ac patuli, ut tam piscib. conservandis, quã refrigerando potui inserviant. Iuxta fontes aviaria sunt, in quæ ex canalibus artificiose prosilit aqua, quam commodissime excipiunt aviculæ. Continent autẽ pulcherrimas aves peregrinas ac sonoras. Inde deambulatoria, & in his topiaria, naves, ædificia, Centauros aut alia genera animaliũ repræsentantia. Extra hæc variæ herbæ, aliquando in modum Labirynthi positæ, Laureta, Cupressseta, Vineæ. Non rarò Labirynthi e buxo, hedera ac Myrto, præterea Palmæ quarum fructus sunt dactyli, ac aliæ arbores raræ. Deniq; (ut nihil dicam de statuis et monumentis) ea adest copia selectissimorũ fructuum, is odor, ea voluptas, ut ne in Hesperidum quidem hortis, ulla major aut gratior esse potuerit.

Igitur ab eo templo monachorum, de quo paulò antè ajebam, prædia nobilium & horti ad urbem usq; protenduntur. Ea sita est ad sinum maris Thyrreni, forma triquetra, duobus angulis mare respicientibus, tertio montes, qui non magno intervallo ad eà distant. Insistit autem solo vel basi inæquali, quasi bifida, ædificiis paulatim assurgentibus. Inferiorem partem illius mercatores ferè ac plebei, superiorem nobiles incolunt. Itaq; in ea palatia pulcherrima reperiuntur, inter quæ præcipua sunt Principis Salernitani Vrsini, Principis Sulmonis & Thomæ Cambii, multis statuis ornatum habens Leænam supra portam cum inscriptione IOVI XENIO.

Fontes & plateæ.

ILlud deinde inter præcipuas dotes ejus urbis connumerandum arbitror, quod singulæ propemodum domus, fontes habeant copiosa ac saluberrima aqua scaturientes, nec est ulla alia urbs in universa Italia (quod ad aquarum copiam attinet) quæ cum hac conferri posit. Pla-

teas

teas vero angustas habet exceptis tribus, quæ ut satis latæ ita miræ longitudinis sunt. Superior ex his la Vicaria dicitur, altera Capuana, tertia est è regione arcis & ad forum usq; patet. Capuana Capuam ducit, quæ urbs in Iure civili valde celebris est, maximè in materia contractuum. Nam & primum Prætorem peregrinum habuit, & olim floruit mercatura. Unde solutiones in eam ferè concipi solebant, aut Romam, aut Bithyniam, Asiæ urbem. In porta hujus plateæ monumenta plurima conspiciuntur, tum constructa cum per eam Carolus Quintus Romanus Imperator, & Neapoli Rex, primus omnium mortalium ingrederetur: id quod in simili porta deinceps Antverpienses imitati sunt. Ante portam Oceanus erat & Thetis, deinde per plateam ipsam commodis in locis Hercules, Athlas, Perpetuitas, Religio, & alia multa, quæ in triumpho Neapolitano cõmemorantur.

Forum & templa.

F*Orum urbis præcipuum forma qua-*

drata est, spaciosum admodum, non tamen stratum lapidibus, in medio illius furca & proscenium iis extructum qui ultimo supplicio afficiendi sunt: præterea sacellum, è cujus regione fons labrum capacissimum habens. Ad forum multa diversoria sed vulgaria, & est Neapoli magna penuria mundorum hospitiorum, licet popinæ infinitæ adsint.

Templa habet non multa sed pulcherrima, è quibus elegans est Cathedrale ut vocant S. Claræ, nescio an etiam illud quod divo Luio dicatum, cum tenebrosum admodum sit. Ornatissimum est S. Mariæ prædicatorum, nam & in amœnissimo præaltoq; urbis loco situm, & intus totum ferè marmoreum incrustatumq́; angustum tamen. Frequentatur religione templum S. Mariæ di Carbona, monasterium non procul à foro, unde ingentem copiam tabularum votivarũ, & duo sacella marmorea juxta aram primariam continet. In ipsa autem ara tumba est, in qua corpus Roberti Regis Neapolitani & conjugis illius quiescit, admodum pomposa, ut fama sit nullam magni-

magnificentiorem reperiri in universa Europa. Ego vero, si non præstantior est, parem certè huic esse puto illam quæ Guillelmi Croii ejusq; conjugis corpus habet in Belgico, propè Lovaniū ad arcem Heffriam, præterea sepulchrum Mauritii Electoris Saxoniæ Friburgi in Hermonduris, et illud in quo conjunx ipsius quiescit Vimariæ in Turingia, illud deniq; quod in memoriam Palatini Electoris Heidelbergæ extructum est. Sanè hæc quatuor sepulchra præcipua sunt ex his, quæ vel in Italia vidi, vel in Galliis, aut Germania, vel etiam in Anglia, nam in Hispaniis non fui. Sed inter illa quæ in his regionibus ex ære vel aurichalco conflata cernuntur, meo judicio cæteris omnibus præstat Heinrici VII. Anglorum Regis, apud VVestmonasterium, ut vocant, in urbe Londinarum, cum hac inscriptione:

Septimus hic situs est, Henricus, gloria Regum
Cunctorum, ipsius qui tempestate fuerunt.
Ingenio atque opibus, gestarum & nomine rerum;
Accessere quibus naturæ dona benignæ,

Fron-

Frontis honor, facies augusta, Heroica forma.
Iunctaque ei suavis conjunx, perpulchra, pudica,
Et fœcunda fuit, felices prole parentes,
Henricum quibus Octavum terra Anglia debes.

Tota tumba deaurata, vulgatioribus gemmis undique coruscat, habet etiam multa τρέυματα, & ad eam proximè accedunt monumēta Regum Galliæ, apud fanum S. Dionysii.

Στοαὶ, arces & armamentarium.

SVnt præterea Neapolis quatuor στοαὶ ut Græci nominarunt, quadratæ formæ, circumcirca sedilia habentia, qualis ille locus est Antverpiæ, quem Bursam vocant, & Venetiis la piazza del rivo alto. In his igitur στοαῖς, certis anni temporibus publici conventus habentur. Conveniunt quoq; in iis mercatores singulis diebus contractuum celebrandorum causa.

Arces tres numero habet, quarum duæ ad mare sitæ sunt, vetus scilicet ac nova.

nova, tertia in altissimo monte urbi incumbente locatur. Unde adeo munita est, ut qui eam tenet, urbi facillime imperare possit, quantumvis ab hostibus occupatæ. Est paulo infra illam monasterium Carthusianorum, templum habens Divo Martino sacrum, è quo amœnissimus prospectus est, cum in urbem, tum in ipsum mare. In arce autem veteri ad viam Capuanam sita, antiquissima ædificia ac picturæ cernuntur, & est in ea armamentarium, in quo inter cætera asservatur πανοπλία Francisci Galliarum Regis, qua indutus ad Ticinum urbem capiebatur, elegantissima, & ex optimo ferro fabrefacta, sine ullo tamen ornatu auri. Ex arce deinde transitus est in amplissimos hortos: in ipsa vero arce hortus pensilis, sed is præter amœnum prospectum nihil habet. Arx nova ad ingressum urbis sita est, extructa ex lapide Tiburtino, forma quadrata. In eo loco olim fuit monasterium prædicatorum, quod nunc in alium usum translatum est. Ambit autem hanc arcem, ex ea parte qua urbem respicit,

respicit, admodum profunda fossa, quasi duplex. Nam priorem fossam ingressus, tandem arcem ipsam vides, quæ similiter fossa ac mœnibus turribusq; munita est, & clivo insistit. Portam interiorem pulcherrimam habet ex marmore, in aream spaciosam quadratam oblongam. Ad sinistram ingressus, aulula quadrata est, in qua Regni illius conventus quotannis celebrantur: & qui ei regno præest, solet in ea singulis septimanis judicium exercere. Denique juxta hanc aululam in turri quadam præampla, asservantur regia ornamenta hæc. Sceptrum aureum in superiore parte margaritis maximis ornatum. Ensis habens capulum & vaginam auream, gemmis ornatissimam. Corona vel diadema regium, gemmis incredibilis magnitudinis rutilans. Crux aurea quantitatis unius palmæ. Ingens poculum aureum undiq; gemmis ornatum magni precii. Vniones maximi, & præcipua genera preciosorum lapidum: Breviter thesaurus qui vix æstimationem recipit.

Antiquitates, Academia, & proprietates Neapolitanæ.

Mirum vero quanta copia antiquissimarum statuarum conspiciatur in urbe Neapolitana, etiam in privatis ædibus, puta Bacchi, Mercurii, Herculis, Bruti, & totius veteris militiæ habitus. Adsunt & statuæ togatæ, & maximum equi caput æneum, magna arte conflatum, cui simile videtur Romæ in palatio Cardinalis de Valle. Sed de his omnibus diligentissimè scripsit Cyriacus quidam Anconitanus, huius enim est major pars illius operis, quod Apianus & Amantius in hac materia antiquitatum ediderunt.

Fundavit in hac urbe Academiam Fridericus II. Rom. Imp. quæ hodiè adhuc floret. Nobis istic commorantibus moriebatur in ea Simon Portius, insignis Philosophus ac Medicus. Nam & præter eum libellum, quem de incendio agri Puteolani edidit, ut superius admonui, scripsit de anima, de sensibus, de coloribus, de puella Germanica, & multa alia. Clarebat inter istos Marcellus

quidam Senensis, vir inprimis doctus & facundus: Theologia vero ad monasteria relegata erat, ut in tota Italia ferè. Neapolis hyemem vix duobus mensibus sentit, puta mense Ianuario & Februario. Frequentes habet pluvias, sine nive tamen, ac in æstate ferventißimum æstum, unde rara ibi sunt ædium tecta, ut noctu super ædificiis obambulare liceat corporis refrigerandi causa. Vocant eam urbem vulgari lingua gentilem, hoc est, nobilem, ut Romam amplam, Venetiam divitem, Florentiam pulchram, ad imitationem ni fallor Græcorum, qui ipsi quoque præcipuas urbes epitheto aliquo decenti ornare solebant. Nam Athenæus conferens aliquot, ait, Alexandria est aurea, Antiochia καλλὴς, *Nicomedia* περικαλλὴς, *Atheniensium civitas* λαμπροτάτη, ἡ ῥωμαίων πόλις ἐστὶν ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης. *Credo autem Neapolim vocari nobilem, propter multitudinem nobilium qui in ea habitant, & propter luxum. Nec alibi ullo in loco Italiæ reperire licet tantam copiam generosißimorum equorum,*

quantam ibi. Sed ut equum indigenum inde extra Regnum illud ducas, decumam ſolvas oportet, venduntur autem in ea non tantum equi & omnia genera mercium, verum etiam mancipia utriusq; ſexus & ætatis. Sicarios multos habet, & malè audiunt apud quosdam Neapolitani, non tam quod ipſi mali ſint natura, ſed quod multos malos alant & vicinos habeant malos. Ii verò ſunt Apuli, Calabri & Siculi, de quibus poſterioribus verè dici poteſt id, quod Cicero de iis ſcripſit: Omnes inſulani mali, Siculi omnium peßimi.

Cæterum quod ad proprietates Neapolitanorum attinet, delectantur illi non tam Græcis aut Latinis literis quā Hetruſcis, & dialecto ſua irrident Calabros, Calabri Appulos. Vtuntur autem oratione plena faſtus & jactantiæ, unde aliorum conſilia reſpuunt, & ſua cæteris omnibus præferunt. Satis eſt eorum mercatoribus dediſſe fidem, ſed ſi datam fallas, ſtrenui ultores ſunt injuriæ illatæ, quemadmodum acceptorum beneficiorum maximè memores. Splen-

didißimè victitant, & aliquando plus saccari quàm panis insumunt Siculos imitantes. In vestitu superbi sunt, & nimios sumtus faciunt belli ac pacis temporibus. Optimè adoriuntur hostem, & equos habent ad bellum aptißimos, quibus optimè insident, & quos summa corporis dexteritate regunt. Perditißimè amant, sed eas tantum, quæ & facie picta & animo elato sunt, quibus duabus rebus illorum mulieres apprimè student. Alioquin rem familiarem diligenter curant, & amatores suos religiosißimè colunt. Deniq; humani sunt Neapolitani erga peregrinos, & amant eos si quid in iis vident eximium aut excellens, si nihil tale vident, parvi eos faciunt. Atque hæc quidem de ipsa urbe.

Putei regales, & mons Vesuvius cum aliis.

EXtra urbem ex ea parte quæ Pausilipo adversa est, cernuntur putei regales, vulgo dicti pozzi reali, pulcherrimi sane & digni q; videantur. Est nisi fallor ejus generis locus Romæ & Ferraria

rariæ Il bel veder, hoc eſt, ut ego interpretor, locus æſtivus, ædificiorum, hortorum, ac rivulorum, proſpectus item ſituſq́; amœnitate elegantiſſimus. Hoc autem ædificium vel palatium extruxit Ferdinandus Arragonenſis I. Neapolis Rex, forma quadrata & oblonga, in cujus parietibus antiquiſſimæ picturæ cernuntur. Media area ejusdem ſub dio ad lavandum deſtinata eſt, e qua tribus gradibus deſcenditur, quaſi in labrum quoddam, ubi aqua pro libito intromittitur, & totam illam arcam, porticus ornatiſſima ambit. Sed in poſtrema obſidione urbis Neapolitanæ, Galli non hanc porticum tantum, ſed totum ferè hoc palatium corruperunt. Cum hoc lavacrum adhuc eſſet integrum, credo nullum vel magnificentius vel amœnius eo fuiſſe in univerſa Italia. E regione hujus palatii aliud ædificium aut palatium eſt, & locus è quo aqua per canales in ipſam urbem deducitur.

Inde itur in hortos, in quibus alia porticus, ante quam locus ſpacioſus & amplus, neglectus tamen ac arundinib. vepribus et dumetis repletus. Hinc rurſum

transitus est in alios atq; alios hortos: tandem pervenitur ad fontem aquæductuum amœnißimum limpidißimumq; et saluberrimis aquis scaturientẽ. Fuerunt juxta hunc caveæ, quibus varia genera animalium includebantur, sed illæ quoque à Gallis confractæ sunt. Ex hoc igitur loco per ædificia olim familiæ destinata, ad primum redire licet, ubi fonticuli, & blandißima aquarum præterlabentium murmura, sylvulæ ac fructuum aspectus jucundißimus.

Conspiciuntur inde vestigia urbis Palæopolis, cujus Livius mentionem facit. Est quoq; alius locus propè Neapolim non minus amœnus, quarto lapide ab urbe in pede montis Vesuvii, in quo monte, Plinius naturalis historiæ scriptor & claßis Augusti Præfectus inter cineres periit, id quod Plinius secundus testatur in epistola quadam, cum idem mons paulo ante arsisset instar Ætnæ in Sicilia. Nascitur autem ad radices hujus montis vinum Græcum, quod alii Pompejanum vocant, optimum & multorum autorum scriptis celebre. Palatium quod ibi extat, à vicino pago nomen

men accepit, & pietra biancha vocatur, nos Leucopetram nominare possumus, intus totum marmoreum, & opere vermiculato in ipsis cubiculis ornatum. Est in eo Nympha dormiens ac incumbens urnæ, è qua ingens copia limpidissimæ aquæ profluit, quæ per canales marmoreos postea dilabitur, nec ullam partem pavimenti lædit, cum iidem canales etiam piscibus inserviant, quasi parva quædam vivaria. Opinor veteres talia ædificia vocasse Nimphæa tam Romanos quàm Græcos, sed hoc recens est, & a quodam Consiliario Caroli V. Imperatoris extructum, circa annum Christi ut ajunt 1530. Habet ab una parte vicinum mare, ab aliis planiciem, cujus mira fertilitas frumenti, olei, vini, & fructuum omnis generis. Difficile est credere, tamen verum, reperiri ibidem vites, quarum una interdum proferat metretas vini X. vel XII. hoc est nostræ mensuræ urnas V. aut VI. vel etiam plures. Sed & illud mirum videri potest, quod quidam literis mandavit, spirante Aquilone propelli in agrum Neapolitanum ex Aphrica, tantam copiam

coturnicũ, ut & glomeratim in ædes mari vicinas cadant, & ſine ulla difficultate manib. præhendi queant. Quin etiam inter volandum illas ſæpè in triremes incidere, vi ventorum ac longo itinere defatigatas. Poſtremo ea eſt Neapolitani agri amœnitas, ea ædificiorũ magnificentia, fontium et aquarum ſalubritas, tanta copia illarum rerum, quæ natura ipſa tanquam miracula quædam prodidit, tot veſtigia antiquitatum, ea deniq; fructuum aliarumve rerum, quibus vita humana ſuſtentatur, ubertas: ut non ſolum pars quædã Campaniæ felicis rectè appelletur, ſed verè ſit ſumen quod ajunt fertilitatis & ipſum cornu τῆς ἀμαλθείας. Quæ omnia cum diligentiſsimè perluſtraſſemus, non tam pertæſi laboris (hunc enim facile leniebat cupiditas noſtra & pulcherrimarũ rerum inſpectio) quam quod ad Muſas nobis redeundum arbitraremur: relicta Neapoli, ac Cajetam urbem antiquiſsimam prætervecti, Romam contendimus, & inde per Thuſcos Patavium. Quò cum ego quidem veniſſem, manſi ibi aliquantulum, poſt in patriam me recepi.

FINIS.

DE REGIMINE ITER AGENTIVM,

VEL

Equitum, vel peditum, vel navi, vel curru seu rheda, &c. viatoribus & peregrinatoribus quibusque utilissimi,

LIBRI DVO.

Authore

GVILHELMO GRATAROLO, PHILOSOpho & Medico.

DE REGIMINE ITER AGENTIVM, VEL EQVITVM, VEL PEDITum, vel navi, vel curru ſeu rheda &c.

LIBER I.

Longum iter aggreſſuri purgatio aut venæ ſectio quo modo fiendæ ſint, & quo tempore, niſi cogat neceſſitas, peregrinandum.

CAPVT I.

NOtabile iter aggreſſurus, niſi res urgeat, aut nivoſos Rhetorum ac ſimiles montes pertransire oporteat, tempus ſibi eliget Veris, quod à medicis rationalibus ſaluberrimum, aliarum temporis partium reſpectu, pronunciatur, ob temperatas qualitates, & humano, in univerſum, corpori aptas: ut alias nunc rationes & cauſas omittam, ne præter inſtitutum longior ſim. Is verò ſive pedes,

des,

des, sive eques, iter acturus, considerare debet, num corpus suum impuris humoribus, aut alioqui bonis & multis, abundet: quò paucis ante iter diebus, sibi vel debita purgatione, si malus aliquis humor abundet ac prævaleat: vel venæ sectione, si omnes æqualiter humores plus satis creverint, prospiciat: id quod periti medici consilio ac probi ut faciat, si ad manus sit, consulo. Nam ut tum alii medici, tum etiam nos diximus in libello nostro de literatorum ac similium valetudine tuenda, exercitium non purgato vel impuro corpore factum, nonnulla adfert mala seu morbos et symptomata, cum ex motu accendantur magis humores, et ad varias corporis partes pro eorum situ ac natura, defluant & currant. Si igitur quis sanguineus sit, id quod breviter ex corporis & præsertim faciei rubedine, carnositate mediocri & solida, hilaritate, benignitate, ac similibus cognoscetur: & ætas, ac robur, aut aliud non impediat, hora matutina dieq; & loco idoneis, basilicam dextri cubiti seu jecorariam venam secet, ac plus vel

minus sanguinis educat, pro ejus inspecta bonitate, vel malitia, aut consuetudine &c. ac subinde vivat ut phlebotomati debent: non ut quidam, qui statim vino ac cibis se replent: nam omnia hic scribi nec possunt, nec debent. si is aliquẽ morbum pati solitus sit, eo veris tempore vel hac vel alia convenientiori venæ sectione, aut humorum qualitate peccantium purgatione, præcavebit ac præservabit, vel utroq; modo, si opus fuerit. Qui si phlegmaticæ fuerit temperaturæ, cognoscetur ex albido colore (nam externus color internos indicat humores, nisi in profundo lateant) totius ferè corporis, ex pinguedine ac mollitie, somnolentia, pigritia, multo sputo ac mucore &c. atque sic humores præparabit ac concoquet syrupis aliquot, pro humorum cruditate majori vel minori, sumtis, quorum hic aliquam formam damus, ut Recipe oximelitis simp. mellis rof. col. syrupi de betonica vel de menta ana unc. 1. & dimid. aquarum probè distillatarum aut decocti fœniculi, betonicæ & hyssopi, vel origani unc. 3. misce pro tribus matutinis

nis ad horas circiter tres ante prandium: plures aut pauciores accipiet, ut dixi, vel ſub alia forma, præſente medico docto. nam particulares temperaturas & individuas corporum proprietates quis non viſo neque allocuto homine agnoſcat? juvare tamen volumus in univerſum multos, & eos præcipue qui medicis bonis carent. poſt acceptos ſyrupos tali vel ſimili uteris purgatione, modo probum ac fidum pharmacopœum nactus ſis: Recipe electuarii indi, diaphœniconis, diachartami, (vel eius loco drach. dimid. agarici albiſsimi) ana drach. 2. cum ſaccaro fiat bolus: ſumas horis 4. vel 5. ante prandium cum cuſtodia: hora verò dimidia ante cibum ſume paropſidem juris piſorum, vel carnium recentium, addito rubeo, ut vocant, ſaccharo, ad ſemunciā, & aniſi pulvere vel cinamomi ſcrup. 1. vel dimid. eoq́ꝫ die, ut ſemper fiendum in purgationibus, ne quantum ſolebas, comedas, quod natura utcunque agitata, debilior ſit, nec multos cibos ferre commodè poſsit. a purgatione ſi ventriculus, ut ſolet, imbecil-

becillior, ex attractis undiq; humiditatibus, fuerit, sumat drach. 2. aromatici rosacei horis duab. ante prandium mane sequenti, vel diagalangam, si senior fuerit homo vel flatuosior, aut simile quid ex conservis rerum calidarum. Præstat verò diem purgationis esse quo Luna aqueū aliquod signum peragret, aut libram, neque conjunctioni sit nimis propinqua: sed hæc jam vulgaria sunt. Si colericus seu biliosus sit qui purgari velit, ex subflavo colore cognosces, macredine, promptitudine animi & corporis, & proclivitate ad iracundiam: sic se purget, etiam omißis syrupis, nisi usq; adeò calidus sit humor & acer, ut æquatione & refrigeratione prævia indigeat, ut puta syrupo acetoso simp. syrupo de endivia violaceo, & similibus: Recipe electarii de psilio, vel diasebestem comp. diachatoliconis, ana drach. 3. rhabarbari scrup. 1. cum syrupo ros. sol. fiat in modū opiatæ ut vocant, vel cum saccharo fiat bolus. sumat ut supra de phlegmatico dictum est. Si potionem velis, Recipe syrupi ros. sol. unc. 3. aquæ fumiterræ

terræ unc. 2. misceantur. si bolum delicatiorem, recip. rhabarbari electi subtiliter, ne tamen pulvis evolet, triti, drach. unam, sacchari rosacei novi unc. dimid. misce, vel unc. unam succi cassiæ cape. Si post purgationem vis principalia membra confortare, sumito diarodonis drach. duas, vel tantundem triasantalorũ, si hepar sit calidus, eadem à purgatione hora ut superius de phlegmatico dictum est: idq; bis vel ter, si opus sit. Melancholicus cognoscetur ex subnigro colore, macie, tristitia, timore etiam sine causa, avaritia, licet hoc sit ferè commune vitium, parcitate, invidia &c. in eo sic præparandi erunt humores: Recipe syrupi de fumo terræ, de epithimo, de lupulis vel de succo buglossi, ana unc. dimid. aquarum vel decocti boraginis & cassutæ unc. 3. misce pro uno, & subinde pro tribus, vel quot volueris. post syrupos Recipe diasenæ, diacatholiconis ana unc. tres, epithimi scrup. unum cum saccharo fiat bolus, vel cum pauco jure carnium aut sero lactis addito scrup. dimid. pulveris anisi, fiat potio, sumat ut

ſupra dictum eſt. à purgatione recipe conſervæ boraginis vel bugloſſæ unc. 1. ſpecierum arom. roſ. vel lætificantis alicujus ſcrup. dimid. ſumat una vice vel in duabus, ut de aliis dictum eſt, & poteſt unciam boni vini albi vel rubei bibere deſuper. Sed quoniam pauperibus etiam conſulendum eſt: phlegmaticus purgabit ſe, herbarum aliquot convenientium decoctis addito modico melle a colatura intus cocto, loco ſyruporum præſumtis, cum ſcrup. duob. pilularum cochiarum, vel drach. una pilularum de hiera cum agarico, vel aggregativarũ, aut ſibi convenientium, quas ſumet mane ad minus horis quinq; ante cibum, ac ſuperdormiat per horam vel alteram, & eo die ſe domi contineat. Colericus utetur pilulis aureis, vel drach. quatuor electarii de ſucco roſarum, vel decocto mercurialis. melancholicus decocto vel diluto probè facto ex drach. ſex foliorum ſenæ cum drach. dimid. aniſorum contuſorum. modus jam omnibus ferè notus eſt, & de his tum in libro noſtro de memoria reparanda, tum in jam al-

legato

legato de ſanitate tuenda, fuſiorem declarationem & modum dedimus.

De diæta & præmonitione iter ingreſſi, aut aggreſſuri.

CAPVT II.

QVandoquidem omne nimium eſt naturæ inimicum, & quod paulatim fit, ut inquit Hippocrates, tutum eſt, cum alias, tum quando ex uno ad aliud tranſitus fit: conſuetudoq́; in ſenibus non mutanda eſt, in aliis paulatim, & ex bono in melius, vel ex malo in bonum. Iter acturus, ſi cogitet aut ſciat oportere ſe in ſex rebus vocatis non naturalibus, mutationem facere, aut ex parte, vel ex toto: præincipiat domi ſuæ vel in patria, illi vel cibo vel potui vel exercitio, aut aliis rebus, niſi malæ ſint, aſſueſcere: ut cum in via fuerit, facilius ferat, cum ab jam aſſuetis, inquiunt phyſici, non fiat paſſio. Si autem rem aliquã malã cogatur experiri ſeu habere in itinere, huic nõ dico ut aſſueſcat, quis enim malum duplicaret? ſed curet quibus modis poßit rem illam vel pro poſſe evi-

tare, vel corrigere, aut illi cum locus dabitur antidotum adhibere pro virili & facultate: in reliquis ſciat victricem fortunæ patientiam dici, & oportere in patientia noſtra ut noſtras poßideamus animas et vitas: perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim. Durate ac vosmet rebus ſervate ſecundis. Fortiaq́ adverſis opponite pectora rebus. quo ad reliqua, nemo neſcit æſtate linea veſtimenta magis convenire: hyeme lanea, vel bombycina, ſive ex pellibus. Si in aërem calidiorem ſuo nativo pergat, locum in quo reſidebit eligat Septentrionem verſus, refrigeret aqua, & floribus, & herbis frigidis, roſis, violis, vitium frondibus, ac ſalicum &c. e contra ſi in frigidum, ut bonorum & ſiccorum lignorum igne, veſtimentis bonis, & victu ex rebus calefacientibus, & vino potenti ac non multo. domi aſſueſcat illi cibo quem ſe habiturum putat in via, niſi, ut eſt ſupra dictum, malus abſolutè ſit. In itinere præſtat, imo ſemper, more Galenico, minus in prandio edere ac bibere: nã ex motu impeditur concoctio, fiuntq́ ſub-

inde obstructiones, inde putredines, & febres, vel alii particulares morbi. caveat sibi à cibis facilè corruptibilibus, vel nimis duræ concoctionis, à fructibus horariis, nisi sitis & æstas invitent, aut cogant: ab aqua, nisi sit abstemius: quæ si mala est coquatur cum re aliqua corrigente, ut cinnamomi modico, aut quatuor vel sex piperis granis. vel nuces aut allii parum præsumendo, quæ etiam contra frigus & humidum aërem prodeunt. Pessime faciunt pedes iter agentes & etiam equites, qui inter eundum, aquam, invento fonte, ingurgitant, unde splenis aut ventris dolores fiunt, præstat igitur os solummodo abluere ac gargarizzare, os clausum tenere, & parum loqui. In hospitiis caveant à piscibus frigidis coctis, vel recoctis, & diu servatis: præsertim si in vasis æneis aut cocti aut contecti fuerint, nã veluti venenũ sunt. Ididem de carnibus dico: quæ etiam non laudabiles sunt, si statim excoriatæ atq; adhuc calidæ coquantur, vel si male coctæ sint. nunquam ferè desunt ova tremula sive sorbilia, modò recentia sint.

tare, vel corrigere, aut illi cum locus dabitur antidotum adhibere pro virili & facultate: in reliquis sciat victricem fortunæ patientiam dici, & oportere in patientia nostra ut nostras poßideamus animas et vitas: perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim. Durate ac vosmet rebus servate secundis. Fortiaq; adversis opponite pectora rebus. quo ad reliqua, nemo nescit æstate linea vestimenta magis convenire: hyeme lanea, vel bombycina, sive ex pellibus. Si in aërem calidiorem suo nativo pergat, locum in quo residebit eligat Septentrionem versus, refrigeret aqua, & floribus, & herbis frigidis, rosis, violis, vitium frondibus, ac salicum &c. e contra si in frigidum, ut bonorum & siccorum lignorum igne, vestimentis bonis, & victu ex rebus calefacientibus, & vino potenti ac non multo. domi assuescat illi cibo quem se habiturum putat in via, nisi, ut est supra dictum, malus absolutè sit. In itinere præstat, imo semper, more Galenico, minus in prandio edere ac bibere: nã ex motu impeditur concoctio, fiuntq; subinde

inde obſtructiones, inde putredines, & febres, vel alii particulares morbi. caveat ſibi à cibis facilè corruptibilibus, vel nimis duræ concoctionis, à fructibus horariis, niſi ſitis & æſtas invitent, aut cogant: ab aqua, niſi ſit abſtemius: quæ ſi mala eſt coquatur cum re aliqua corrigente, ut cinnamomi modico, aut quatuor vel ſex piperis granis. vel nuces aut allii parum præſumendo, quæ etiam contra frigus & humidum aërem proderunt. Peſſime faciunt pedes iter agentes & etiam equites, qui inter eundum, aquam, invento fonte, ingurgitant, unde ſplenis aut ventris dolores fiunt, præſtat igitur os ſolummodo abluere ac gargarizzare, os clauſum tenere, & parum loqui. In hoſpitiis caveant à piſcibus frigidis coctis, vel recoctis, & diu ſervatis: præſertim ſi in vaſis æneis aut cocti aut contecti fuerint, nã veluti venenũ ſunt. Ididem de carnibus dico: quæ etiam non laudabiles ſunt, ſi ſtatim excoriatæ atq; adhuc calidæ coquantur, vel ſi male coctæ ſint. nunquam ferè deſunt ova tremula ſive ſorbilia, modò recentia ſint.

In hyeme potenti vino ac pauco, præsertim in prandio utendum: æstate oligophoro vel simili sine aquæ dilutione, si fieri potest, præsertim stomachis debilibus. habeat in pera pulvisculos aliquot pauper ex aniso, alii ex cinnamomo, galanga, caryophyllis, zinzibere: quibus super humidis aut frigidis cibariis hyeme præsertim utatur. Viator, præsertim pedes, non statim cum applicuerit hospitium, edat vel bibat, sed sinat ut calor ex motu contractus resideat, atque interim cibum parari jubeat: quando vix quisq; paratum statim reperit quod vult. neq; confert parum quid edere aut bibere, deinde post dimidium horæ rursus mensæ aßidere: cum crudum ponere super coqui incipientem cibum, noceat, quòd inæqualis fiat concoctio. ego his scribo qui sanitatis curam habent, non his quorũ Deus venter est, & fruges aut vinum consumere natis. conferet interdum ad horam vel semis ante prandium bibere dimidium calicem abscintites vini, præcipuè his qui minus appetunt, aut ventriculo & hepate sunt minus validis.

Viator

Viator non statim à cibo iter arripiat, sed circiter horas duas quiescat post leviculam deambulationem, ut cibus in ventriculo concoquatur: nisi quis vel gradarium equum habeat, vel lentè incedat. Satagat insuper ut mane ante discessum, omnes corporis & partium evacuationes pro posse habeat, præsertim ventris beneficium, & urinæ, narium, & pectoris purgamenta. Si vero alvus nimis astringatur, aut contrà, remedium habebis capite septimo hujus libri. Caveat ab animi curis & perturbationibus, quæ corporis vires, satis alioqui ex itinere fessi, dejiciunt, ut nimiam solicitudinem, mœstitiam (quam Germani, non soli, vino pellunt) timorem, angustiam, desperationem, vel etiam inordinatam vel profusam lætitiam: nam omne extremum est vitiosum: sed quod paulatim fit, tutum est.

Quoniam vero perrarò invenitur abscintite vinum aut cervisia talis, vel similes medicati potus: hic docebo rationẽ ex tempore faciendi potum abscintiten, sive alium cujusque generis, qui non omnibus

mnibus cognitus est: sumitur absintium siccum, exempli gratia, & contunditur, vel manibus confringitur, quo melius suas exerat vires ac citius, eoq́ in sacculo inverso pyramidali, vel alio quoq, posito, mox cervisia aliquoties per illud colatur, donec clara iterum fiat, quemadmodum lixivium ex cineribus parari solet. hoc modo vinum absintite quibusdam iter facientibus conficere mos est. Si verò inscius aut festinans, malos pisces aut carnes, de quibus supra, edisses, cura ut vomas, sumpto ex officina vomitivo dicto patriarchæ, vel oximelite et aqua tepida. post sume vinum insperso pipere vel zinzibere: aut tabulam diatrii piperei ede, aut diacalamentum, superbibendo modicum vini optimi. post horam comede, ut necessitas requirit, quod melius potes.

Iter agens, in summa, ut inquit Avicenna tertia primi, sollicitus esse debet ne ægrotet: idcirco inter cætera animadvertenda, cibus ejus sit bonæ substantiæ et quantitatis paucæ, præsertim in prandio: olera omnia dimittendo, & fructus,

& quæcunq; malum generant humorem, nec statim assumpto cibo equitandum est. æstate, lactucis vel endivia in acetariis, & moderatè, uti poteris: tempus cibum sumendi erit cum ad hospitium ventum fuerit: potes tamen cum est eundum, vel ante prandium, aut cœnam, ad duas horas, vel antequam itineri te accingas, sumere parum sacchari rosacei. & hoc tempore in horis frigidioribus, sicut in mane & vespere, equitandum est: aliis verò temporibus quiescendum. In temporibus frigidis in mane antequam ad iter vel ad negotia peragenda te exponas, radiculam zingiberis conditi capere, opportunum erit: vel parum de cortice citri conditi. In temporibus mediis capere unam mirobalanum chebulam conditam, conveniet. Ex Paulo Ægineta lib. 1. cap. 55. Ratio victus peregrinantibus utilis: eadem Oribasii est. Itineris injurias facillime vitabit obesus, maximè si lentius iter festinat. Per æstatem porrò mollis quædam fascia sex aut septem digitorum latitudine, nec minus quàm quinq; cubitorũ longi-

longitudine, sinuoso volumine lumbos ad ilia usq; implicet. Pedum quoq; subsidii proficiscentibus plusculum præbuerit. hæc est Albani Torini versio ultima. Cornarius sic vertit: In profectionibus facillimè quis versabitur, si unctus sit, & non ita contente ac pertinaciter iter faciat, insuperq; æstate fascia molli, latitudinis sex aut septem digitorum, longitudinis autem non minoris quàm quinq; cubitorum, lumbos usq; ad laterum mollitudinem circumdatus. Sed & baculus commodus est ad profectionem. Nam in declivibus locis præmissus, corpus pronum, quasi conto quodam sustentat: in acclivibus autem, dum quis ipsi innititur, motum corporis ad acclivem locum faciliorem facit: minus enim labitur is, qui tribus, quàm qui duobus firmamentis nixus, incedit. Quiete igitur in profectionibus contingente, unctio, & modica cibi alicujus æstivi oblatio, & potus moderatus, hac hora convenit: & post prandium ante itineris ingressum quies. Si verò quis proficisci cogatur, & sitiat, polentam tenuem in aqua cum

modico

modico sale bibat. Cæterum ardores & solem vereri oportet, & ut ne corpus nudum soli exponatur, sed contectum, ut ne in itinere resiccatum induretur. Sic enim & laßitudo minus contingit, & relatarum affectionum nulla similiter inciderit. At ubi hyems frigida est, ante profectionem ventre evacuato, & unctione facta, aliquem satis multum cibum hibernum, & exiguum potum sumere convenit, & circumdare fascia longiore non solum lumbos, sed benè ac probè etiam spinam ac pectus. Vbi verò quiescit, si in tali recreatione frigus multum fiat, neq; ungi, neq; cibum, neque potum capere melius est, neque aliam quampiam refectionem, si quis in eo loco permanere velit. Post longas autem profectiones, & alios fortes labores, etiam si quis laßitudinem non sentiat, curare ipsum oportet veluti lassatos. Sic enim minus molestiarum acciderit. huc usq; Paulus.

Sequutus sum postea Cornarii versionem, quod clarior sit & melior. Sed ad verbum ferè, superius solum notatis verbis

verbis differens, Oribasius idem habet. Sunt autem duo incommoda (referente Cardano lib. 13. de Vari. rerum, cap. 63.) quæ maximam partem humani generis tollunt, plusque satis (ait ille) quàm bella aut crapula: æstuantem exponere se aëri frigido, & humidos ac madidos pedes diu ferre, id est, per aliquot horas, & maximè si quis cum hoc cibis se repleat. Porrò inquit, quod ita sit, experientia docet, cùm sub vere tot rustici apud nos pereant: & in urbibus vix unus aut alter absq; his initiis moritur. exercitatis igitur & in æstuantibus deambulatio in cubiculo concluso satisfaciat: aut si non licet, circumducta veste donec sensim remittatur calor. Ne pedes madescant, postquam non tam facile est illos siccare, calceis subere in solea supposito uti consulimus. Suber enim flecti potest: & si tenue fuerit, non minus fermè quàm corium. Craßius supponitur, si profundius sit lutum.

Præcautione ciborum in itinere defectu fames aut sitis urgeat, deq; cibis & potu peregrinantium.

CA-

CAPVT III.

COntingit aliquando ut in incognitas aut deſertas regiones peregrinanti, cibus vel potus deſit, unde & ventriculus malos attrahit ſuccos, & totum ſubinde corpus læditur ex diuturna fame vel ſiti. Nam & ſi quis poßit absq; cibo et potu ad ſex vel ſeptem dies vivere: hoc tamen intelligendum eſt de quieſcentibus, non autem de iter agentibus, in quibus calor excitatus magis humidum conſumit: & ubi fames eſt, inquit bonus noſter Hippocrates, laborandum non eſt. adducemus ergo aliquos laudatos cibos, qui aliquot ad dies modica eorum quantitate ſemel ſumta, famem abigunt: itidem de ſitim tollentibus facturi, quæ adipſa Græci vocant. Cibus igitur, qui ex aſſatis hepatibus paratur, exſaturat, famemq; adimit, fiunt & globuli ſeu paſtilli (teſte Avic. primi canonis fen.3. doct.5. cap.2.) ex quibus unum ſi comedas, non fameſces integro die, hac forma: Recip: amig. dulcium excorticarum lib.1. adipis vaccæ liquati lib. dimid. olei violarum unc. duas,

musciłlaginis radicis altheæ unc. unam, terantur omnia simul in mortario, & fiant pilæ sicut globuli nucis juglandis ad instar. tales globulos servet viator quàm diu potest à nimio calore ne liquescant, & secum ferat ad necessarios usus: nam diu servantur. Delicatiores ac ditiores dictorum globulorum loco potius habebunt martium vocatum panem, vulgò Marzipan, qui fit ex amigdalis dulcibus contusis & cum saccharo mixtis in placentæ modum nebulis, ut vocant, subditis, & desuper bona aqua rosacea conspersa, seu modicè irrorata & illita, quæ demum placenta in furno pane extracto, vel alioqui levi igne in patella apta coquitur. hic cibus bene nutrit, & roborat: possunt ad libitum pinei nuclei recentes præparatiq; in contusione addi: delicatiores sunt placentæ genuenses. fiunt & pro hyeme panes placentarii vel potius placentæ, ex saccharo, aromatis aliquibus & farina fabarum, quæ nutriunt, & famem pellunt. in hunc modum fit et panis in Germania krafftbrot vocatus, in hunc ferè modum: Recipe

pastam

pastam fabaceam ad quantitatem capitis, commisce libram semis puri & candidi sacchari, & inde formetur longus panis, vvecken Germani vocant, coquatur cum alio pane, coctum exime ac per diem & noctem sinas quiescere, tum incide in partes, sed non penitus separatas invicem, atq; inter eas asperge aquam rosaceam recentem, ac rursus partes illas simul comprime vel reduc, atq; rursus in furno coquatur. nam diu recens servatur, et boni est chimi. ac bene saturat etiam in parva admodum quantitate. tecum ergo habeas ad necessitatis opportunitatem. supradicta etiam ex parte sitim tollunt: de qua tamen propriè ac fusius in sequenti capite dicemus. Pauperiores pilulas sibi facient ex vaccæ seu bovis adipe vel pinguedine, ac oleo violaceo massa liquefactione prius benè subacta: nam illius uncia famem ac sitim tollet per diem naturalem, & plus pro sumentis ratione & diversitate. Athenæus scribit de quodā Magone Carthaginensi, quòd terram continentem ter obiverit, sola farina sicca sine potu victitans.

 Sunt

Sunt aliqua loca, in quibus ob vini penuriam aut carentiam utuntur cervisia: quæ quia non ita omnibus nota est, ut vinum & simplex aqua, ideò cavebit viator, si modò cervisiæ volet assuescere, vel ob vini caritatem, vel ob ejus absentiam, ne cervisia vel nimis amara sit (nam haud nutriret) vel ad acetosum vergat, quia cum alioqui ex se frigida sit & humida, eo magis ventriculum talis acetosa læderet, & nervosas omnes partes. Sit etiam clara, nō turbida, quòd hepar sic obstruat, calculum in renibus generet, anhelitus difficultatem, & nimias in corpore humiditates. nam ex quo grano sit facta, vel benè aut malè, vel vetus an nova sit, quis hospiti crederet? ut enim in proverbio est, ne petas ab hospite num bonum vinum, aut laudatam cervisiam habeat. Scias præterea non minus à nimio cervisiæ potu cavendum quàm vini, quia ipsa etiam inebriet, & diuturniori ebrietate quàm vinum, quod ejus vapores sint craßiores, et ob id discußionis difficilioris: plura qui de hoc potu scire vult, consulat Germanos

nos

nos scriptores, & nos etiam non inutilia de ea & de re omni potabili diximus in libro de vino, cap. 24. Aquæ pluviales aliis communiter subtiliores sunt, & ideo etiam citius putrescunt. eis igitur dū recentes sunt utendum: vel decoquantur, & non tam citò putrescent, nam decoctio putredini resistit. admixtio aceti cum crassa aqua rectificat utcunq; illius crassitiē. idem fit ex vase in vas fundendo illam, & ex alto intus projiciendo parvos lapillos: crassam enim rarefaciunt, & subtiliant.

Admoneo insuper eos qui nesciunt, aquam jejuno ventriculo potam, & post exercitium, aut balneum, aut post ebrietatem, aut crapulam, esse causam mendosæ sitis. Qui verò tali laborant siti, non bibant: nam superdormiendo, & sitim tolerando, sedatur sitis: quia humor eam faciens concoquitur & corrigitur. Sed cum concoctio impeditur propter potum, redit sitis mendosa, quia humor ille sitim faciens non corrigitur nec concoquitur, seu digeritur. Aqua tepida nauseam facit: calida stomachum debilitat;

litat: sed raro sumta, stomachum lavat, & ventrem laxat. Aqua frigida, cum modis & temporibus & ab assuetis sumta, confortat omnes virtutes naturales in suis operationibus, quando sanæ sunt vel in sua æqualitate, nempe, attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem: & confert fluxiones à quocunque membro patientibus: nocet tamen nervis, & habentibus obstructiones, & apostemata, nisi convenienter rebus incoctis corrigatur. Aquæ ferreæ viscera confortant. Non diu est inventam esse hanc artem ut panis tesselatim incisus, ac postquam coctus est & adhuc calens ponatur in malvatico vel alio generoso vino, & tegatur, & cum frigidum est rursus in furno exiccetur vel coquatur, ut sit biscoctus ac siccus & durus. nam ferunt secum viatores talem biscoctum, & cum deest vinum, accipiunt aquam, & imponunt frustulum illius biscocti ut intus remollescat. & panis ita potest adhuc in cibi usum esse, & aqua illa saporem & ferè odorem vini recepit, ut bibenti placeat. Idem faciunt alii extincto

cto pane sæpius in bono aceto, ac demum exiccato vel in pulverem redacto: cujus portiuncula, ut puta cochlear, in ciatho vini vel aquæ posita, per quartum horæ, convertit ferè in acetum purum. Credo si farina his duobus modis misceretur cum vino vel aceto loco aquæ, & inde fieret panis, qui bis vel ter ut supra coqueretur, & vel siccißimus, non tamen ustus, servaretur, aut in pulverem redigeretur, melius præstaret quod quæritur. Pro cibo item in locis sterilibus aliqui secum ferunt pulveres ex bonis carnibus siccatis: pro siti pruna habent: & alii investigari possunt, juxta jam dicta, modi: cum inventis addere non sit difficile.

Vinum rubeum vel crassum melius est illi, qui pinguis fieri desiderat, cum plus id nutriat & roboret: at cavendum ne sua densitate, si non sit clarũ & purgatum, obstructiones faciat, præsertim cum ex motu citius descendat & minus digestum. Vetus tamen clarum ac purum melius est phlegmaticis, & macrefieri cupientibus, & præsertim album.

Super

Super cibum mali chimi vel nutrimenti bibere vinũ dum comeditur, vel ante vel illicò post, est malum: quoniam ipsum per totum corpus penetrare facit. Præstaret igitur à potu vini abstinere donec talis cibus (ut sunt horrei vel putrescibiles fructus & similia) sit concoctus. vel si sitis urgeat, eam cum pauco frigidæ aquæ extinguere: vel talem cibum si solus sumtus sit, deorsum pellere, ac ventrem lubricum, si opus sit, reddere cum haustu magno plurimæ aquæ puræ, ut super pruna, cerasa, melones, & hujusmodi: licet aliqui ad pauca animadvertentes, & voluptatem potius sequentes, aliter pronuncient: quibus alibi satis respondimus. In quem enim alium usum tales fructus sumimus, nisi aliarum rerum penuria urgeat, quàm ut refrigerent, sitim extinguant, molliant ventrem? quid ergo opus est eorum actionem vel operationem, vino præsertim mero, & pane vel caseo, impedire? Pejor est repletio ex cibo quam ex potu: pessima verò quæ ex utroq; simul.

Qui ergo cupit multum una vice bibere,

bere, id eſt, uno prandio vel cœna, paucum & levem ſumat cibum, & è contrà: Nam ſi plurimum ſumat cibi, ac plurimum ſuperbibat, deducetur inconcoctus cibus ad hepar & venas. Sed hæc in libris de ſanitatis regimine fuſius quivis videre poterit.

Sitim & linguæ ariditatem itinerantium tollentia, item ſtomachi ardorem ſiſtentia, appetitumq; reſtaurantia.

CAPVT IIII.

ETſi in præcedenti capite nonnihil etiam ad ſitim pertinens dictum ſit, cum tamen exercitium, præcipuè pedeſtrium, inflammet et ſitim accendat, atque illi extinguendæ non ſatis ſit obiter bibere, docebo plura ad hanc rem utiliſſima. In primis autem caveat viator, ne inter eundum, præſertim in calore, multum loquatur, cum ex hoc non parum ſitis ex oris ac faucium & linguæ ſiccitate accendatur. Caveat à duris & benè ſalitis cibariis, et ab aromatis: in calore cum carnibus utatur embammatis

vel intinctib. ex frigidis herbis, ut oxalide seu acetosa, acetosula, seu pane cuculi, ut vocant barbari, acresta, succo capreolorum vitium, seu tenerorum pampinorum, granatis, aurantiis, limonibus, cucurbitis, cucumeribus, berberibus vel fructibus ribes, qui a cibo etiam vapores ne ad caput ascendant, arcebunt, prunis damascenis in ore retentis, masticatisq́ȝ, & similibus: cui rei seqaentes trocisci conferunt. Recipe 4. seminum majorum frig. seminis papaveris albi ana drach. unam, conficiantur cum mucillagine seminis citoniorum & dragacanti, & fiant tabulæ in modum lupinorum. Confert & tenere in ore corallum, vel chrystallum, qui prius in aqua recenti steterint. Aliqui sacculos lineos super linguam ponendos faciunt ex seminibus frigidis contusis, succo glycyrrhizæ, cum mucillagine seu lentore seminum citoniorum contusorum, & in aqua rosacea infusorum seu dilutorum: tales sacculos exiccari permittunt. & secum deferunt: & cum oportet, eos in syrupo violaceo, vel rosaceo, vel posca hume-

humectant, et in ore aliquandiu servāt. & hoc linguæ ariditati valde conferet, etiam febrientibus. Pauperes lactucam in recenti aqua lotam masticabunt, aut portulacam, aut vitium capreolos, aut oxalidem, & similia. Si bibere velint in maxima siti & æstu, & juvenes sint, utentur posca quæ ita statim paratur: sumatur calix aquæ recentis, cui addatur aceti puri, præsertim rosati, cochlear unum vel alterũ, ita sæpe gustando ut sapor acetosus placeat: nam pro aceti ratione plus vel minus accipiendum est. & cum per dim. saltem horæ quartũ permixta fuerint, præsertim fundendo et refundendo ex uno in aliud vas, tunc bibat ad libitum: nam plus sitim extinguet ciathus communis illius, quàm si cantharum aquæ puræ, vel vini, bibas, nec ita lædit ut pura aqua vel vinum. Vinũ etiam aqua dilutum citius appetitum illum frigidi et humidi, nempe sitim, tollit, quàm horum alterutrum seorsim: rationes horum omitto brevitatis ergò. proderit prius ea posca gargarizare, & viscosum aut falsum adhærensq; phleg-

ma expuere, id etiam fiet ſi os aqua hordei, in qua diluta fuerint cotoneorum ſemina, ſæpius abluatur: ſic enim magis ac magis humectabitur lingua, & vicinæ partes. Quomodo autē ſi aqua impura fuerit corrigatur & aptetur, illico dicemus: quamvis aliquid ſuperius, ſed plura in libro noſtro de vino & re omni potabili dixerimus cap. 27. Portulaca igitur aquarum vitiis, præſertim ſalſedini, pleriſq; reſiſtit: ſed in univerſum hoc magis præſtant allium, vel cœpe, aut theriaca: quæ etiam malo & putrido aëri obſtant. Aqua pluvialis cæteris omnibus melior, levior, & mundior eſt, præcipuè ſi à cælo immediatè ſit collecta, vel quæ non per ſyphones plumbeos aut æreos, vel alioqui immunda tecta, tranſierit. Corrigitur inſuper aqua, ſi diu reſidere in mundo vaſe ꝑmittatur, ut craſſities fundū petat, dein leviter fundatur, et cum bono vino miſceatur: vel diſtilletur ſeu transfundatur per micam panis, aut per alembicum deſtilletur, aut per filtrum, aut panem intus ponendo, aut ſæpius coletur: aut reſudante corpore

multum

multum per sudorem egrediatur: aut coquatur, quia sic quod inest separabitur, & fundum petet dum refrigerabitur. Sed destillatio prævaleat omnibus: quæ tamen non in plumbeis aut æneis fiat vasis, sed vitreis, aut terreis vitreatis, aut saltem è puro stanno. Potest item colari cum lana torta, cujus una extremitas sit in ea, alia in alio vase: & si pluries ita fiet, est optimum. Similiter coqui potest aqua mala vel amara, & lutum bonum seu terra simplex & bona in ea projici, et guttatim ut antea destilletur. Si multa non sit aquæ malitia, corrigitur si cum vino bibatur. Super aquam crassam utatur quis alleis. Item si bibatur aqua cum panno mundo interposito, sophisticat sitim, & valet hoc contra sanguisugas, vermes, & alia minuta nociva. Si injicias parum aluminis triti, statim clarificat aquam, vel vinum. Potabiles aquæ per æstatem improbiores evadunt, levißimo illo & dulcißimo, quod in se habent, ab æstu ferè discusso. secus per hyberna tempora se habent. eadem est in mari ratio. stag-

nantes aquæ minus probæ sunt. Sed jam tandem amissum appetitũ restauremus: caveat ergo à nimis calidis cibariis, & herbis, utaturq́ his quæ in parva quantitate multum nutriunt & facile, ut recentibus ovis in aqua cum testa coctis, non duris: hepatibus gallinarum, et aliis jam superius dictis: ac initio intritus fiant, vel embammata ex bona vitulina vel bovis juvenis carne, minutim & subtiliter incisa, & mixta cum aqua rosacea, aceto rosato, succo narantiorum, vino granatorum, vel modico malvatici, cum tantillo piperis, vel cinnamomi, ac salis, vel colymbadibus olivis utatur, aut capparibus. Si verò ventriculus aliqua humorum indigeat evacuatione ac simul roboratione, sumat horas plus minus quinq́ ante prandium sequentes pilulas: Recipe massæ pilularum alephanginarum drach. 2. aloës lotæ drach. 3. masticbes, rosarum rub. ligni aloës odorati ana scrup. dimid. cum melle ros. col. vel aqua abscintii, fiant pilulæ 7. pro 3. & nisi semel satis sit, sumat post unum diem aliam drach. vel plus. sequenti à

quali-

qualicunq; purgatione die, poterit drach. tres vel quatuor abscintites vini bibere ad horam ante prandium. aut ventriculum jejunum illineat oleo abscintite calido, adjecta quarta parte aceti rosati, & modico pulvere specierum aromatici rosati: vel abscintium & menta parum contusa, & calefacta, acetoq; calido irrorata, superligentur ventriculo. Ciborum etiam odium potu aquæ calidæ sanatur, aut inde vomitum provocando. aut alvum subducendo. Lupini in aqua satis macerati (ut in Italia mos est) cũ sale, fastidium tollunt. Dejectioni appetitus ac fastidio ex frigida causa, plurimum valet abscintii decoctum aliquot matutinis sumtum: decoquatur autem in aqua vel in vino: aut in vino albo austero maceretur.

Linguæ arefactio tollitur primò vitando aromata, & vinum, ac calorem: tum his utendo quæ superius contra sitim dicta sunt, his verò magis propriè: Recip. mucillaginis sem. citoniorum extractæ cum aqua hordei per levem decoctionem, unc. unam & dimid. syrupi

 violati,

violati, rosati, diamoronis ana drach. 6. misce, fiat eclygma: quo sæpe utatur æger. ad idem facit mel rosaceum mixtum cum succo berberorum, aut aqua prunellæ: quæ si desint, accipiat meditullium cum seminibus ex cotoneo, & frangat seu terat semina, & simul ponat in vase, non æneo vel stanneo, cum aceto rosato & aqua q. s. & indè fiet mucillago. aut gargarizetur syrupus acetosus cum aqua hordei, & juvabit.

Ardori stomachi vel æstuationi.

Si viator inordinatè vivat, pinguia comedat, & statim iter prosequatur, sequitur interdū affectus quidam, quem stomachi æstuationem vel ardorem nominant. Cui resistunt aliqui cum glicyrrhyza, aut eius succo, aut calidā aquam jejuni semel bibunt, aut lac, vel transglutiunt tria vel quatuor granula thuris albi, vel semina nucleorum cerasorum edunt, vel diatragacantum in ore tenent, ut paulatim liquescat: vel in majori paßione his morsulis seu tabulis utuntur: Recipe zedoariæ non cariosæ, masticheś, melegettæ seu granorum paradisi

radisi

radiſi ana drach. 1. nucis moſcatæ cinamomi ana drach. dimid. ſacchari albi unc. 1. ſacchari candi unc. 3. cum aqua lactucæ, fiat confectio in morſellis duarum drach. pro ſingulo. ſumat unum horis duabus ante cibum.

Cum quis multum ſitit, & maxime ſi ambulaverit, non ſtatim multum bibat, ſed os lavet, de ea parum trajiciat, extrema in aqua ponat, faciem lavet: ſiti jam multum minuta bibat usq; quo quaſi ſaturetur. Vltimum ferè ad ſitim mendoſam remedium eſt dormire ſine potu apud ingreſſum lecti. eſt etiam remediũ bibere cum vaſe ſtricti colli, aut pannum interponere: alius modus eſt provocare tuſsim. item parum aquæ frigidiſsimæ extinguit ſitim &c. & ſitim poſt cibum mendoſam ſedat parum aquæ frigidæ, & quo frigidior eo melior. vel aërem frigidum haurire, vel inſpirare.

Omnis itinerans portet theriacam, quia malas aquas, & cibos corruptos, & alia corrigit. Si caret aceto, injice vino pulverem mororum immaturorum

ſiccatorum, & in pulverem reductorũ, & erit acetum. Ita ſi vinũ in vaſe ſemipleno bulias in aqua buliente poſito. Si caret acreſta, injice in aqua vel vino albo pulverem uvæ immaturæ, ſiccatæ, & pulverizatæ: vel pone ſal in vino.

Circa aquam adverte, quia poteſt fieri venenoſa, vel quia labitur per minerã venenoſam, aut per radices arborum venenoſarum, ut taxi, buxi &c. aut per vel prope habitaculum alicujus venenoſi animalis, vel impoſitione lini macerandi aut canapis, aut caſu ſeu injectione cadaveris & hujusmodi. Ipſa etiam aqua ſimplex, pura, frigida venenũ facit aut fit, ſi bibatur poſt exercitium, vel exitum balnei, vel coitum, præcipuè ſtomacho jejuno, quia facit tremorem & hydropen: quia hepar ea refrigeratum non bene convertit chilum in chimum. Ipſa enim aqua ſua frigiditate actuali et potentiali hepar infrigidat. Cura verò eſt cum diacurcuma, dialacca, et hujusmodi, cum vino claro & odorifero &c.

Somnum amiſſum conciliantia.

CAPVT V.

ETsi labor & laßitudo somnum conciliare soleant, contingunt tamen itineranti sollicitudines interdum, aut incommoditates variis de causis, quæ somnum prorsus ferè arceant: atq; ita operæprecium fuerit nonnulla parata facilia ut indicemus, pro somno inducendo his qui nimis vigilia urgentur.

Duabus igitur post cœnam horis, ingressurus lectum habeat aquam pro pedum & tibiarum ablutione, hoc modo paratam: nempe ut in ea bullierint vel lactucæ, vel nenupharis flores, violæ camemalon, cortices capitum papaveris, aut folia vitis: hac aqua, præsertim in calore & æstate, pedes, ut dixi, abluat, tū etiam manus usq; ad cubitum: & post horæ quartum adhuc bibat talem syrupum: Recipe syrupi de nenuphare, violati, de papavere ana unc. dimid. misce, vel solum unc. unam syrupi de papavere sumat, si magis instant vigiliæ. Proderit & in promptu habere hoc unguentum, cum sæpe non inveniantur instructi pharmacopœi: Recipe olei de ne-

nupha-

nuphare, violati, unguenti populeonis ana lot 1. aceti rosati drach. unam, opii grana tria, croci pulverizati itidē grana tria: fiat ex his unguentum, quo hora somni conciliandi ungantur tempora, narium foramina, & pulsus. Potest & habere semen album papaveris, ex quo benè trito semidrachma ponatur vel coquatur in ferculo: aut lactucæ in jure pro pane jurulento bulliant. Vel rosaceum oleum & minimum caphuræ ac muliebre lac misceat: in quibus lineus panniculus intinctus superponatur tepidus fronti ac temporibus, & superligetur. Pauperiores possunt, vel illo semine albi papaveris uti, vel guttam unam vel alteram fellis leporis cum cochleari magno vini haurire. Vulgares tamen vino potenti ac copioso epoto in cœna, & post cœnam, sibi ipsis, stulta ducti experientia, somnum conciliant, vel potius ebrietatem & capitis dolorem, vel gravedinem, ac similia: dicunt enim qui benè bibit, benè dormit: qui dormit non peccat: & hujusmodi nugas. non nego quidem vinum moderate potum & eti-

am

am ad hilaritatem, ſenioribus præſertim, ſuaviter ſomnum conciliare: ſed interdum aliis vigilias, calore, inducit.

Laſsitudinem & debilitatem undecunque tollentia, & ab ea præſervantia.

Capvt vi.

N*On rarum eſt quomodocunq; iter agentibus privatis hominibus, præſertim peditibus, debilitatem & laßitudinem una vel pluribus de cauſis incurrere: utatur ergo quoad fieri poteſt (quæ conditio in omnibus ſubintelligenda venit) reſtaurantibus & boni ſucci cibis, ut caſtratis gallinis, capis, perdicibus, faſianis: brodio conſumato cum aqua bugloßi, vel ut inquit Avicenna, aqua carnis: quæ ex probè, ſed non plenè, aſſata carne in veru, poſitaq; inter duos ligneos orbes, torculari exprimitur. Sed hæc domi manentibus, potius quàm peregrinis, commoda ſunt. Igitur juxta medicorum ſententiam, & experientiam ratione ſuffultam, ex maxime ac citò reſtaurantibus eſt vinum odorum & ſa-*

& ſapidum, atq; ova tremeta vel ſorbilia, recentia: vel ſaltem bonus panis malvatico, aut ſimili vino infuſus & eſus. Sed apertus eſt Hippocratis aphoriſmus, dicens, In quocunq; motu laborare cœperis, quies laßitudinem affert: nam perpetuo illud verum eſt, contraria contrariis curari. Adferunt aliqui ſecũ martium panem, vel tale conditum aut ſimile, videlicet: Recipe piſtachiorũ præparatorum cum roſacea aqua, amigd. dulcium ana unc. tres vel quatuor, paſſularum corinthiacarum drach. 2, cinamomi electi drach. 1. ſantali citrini, glicyrrhyzæ raſæ ana ſcrup. 4. margaritarum præpar. corallorum rubeorum præpar. ana drach. dimid. ſacchari albißimi unc. ſex, cum aqua roſata conficiantur in formam conditi: ſumat omni mane, vel quando libet, ad quantitatem parvæ nucis vel caſtaneæ, nam corroborat beneq; nutrit &c. Si ſimul ſitis urgeat vel cor laboret, ſumat ſaccharum roſaceum, vel violaceum, diaboraginatum vel bugloſſatũ, manus Chriſti perlatas, ut barbari vocant, aut ex his mix-

ta cum syrupo de acido citri, præsertim æstate. hyeme calidiora aromata indere potest, ut caryophillos, galanga, & similia. Sed jam ἄκοπα, id est, laßitudinem tollentia, & localia, nonnulla describamus. Si ergo ex labore vel via fatigatus & lassatus, involvat se totum et etiam pedes plantagine, illico sanatur. Oleum masticbinum cum oleo rosato et vino antiquo factum, laßitudinem debilitatemq; nervorum aufert. Quidam ajunt, viatores laßitudinem itinerariam non sensituros, si salviam artimisiæ obligaverint, ac secum ferant. Plura capite duodecimo reperies.

Avicenna decimo tertii in capite de virtutis subito casu, res octo ponit, quibus ea conservatur, & augetur, quæ in memoria bene sculpenda sunt: Prima est cibus levis, enchymus, faciliter & citò digestus, qui sanguinem subtilem & spiritus generans, robur cordis relevat. Secunda est subtile vinum, ad confortandum cor conveniens, & ad multiplicandum vitales spiritus. Tertia sunt odores suaviter fragrantes, qui spiritus

refo-

refovent, & cerebro & cordi robur & solamen continuò præstant. Quarta est animi tranquillitas, & corporis, & loci habitati procul à tumultu. Quinta est gaudium moderatè receptum, quod ætatem floridam facere solet, sicut tristis spiritus ossa desiccat. Sexta est dimißio vel evitatio rerum contristantium, & rixas moventium, & iras, & jurgia: quæ sanguinem, spiritum, & animum conturbant. Septima est revocatio vel aproximatio, vel aßistentia frequens & aßidua rerum amabilium, sine Veneris accessu, vel appetitu, & gaudii nimii. Octava est habitatio cum gratis & dilectis, sine suspicione propositi nocendi. Adde pro nona beneficium ventris, & ciborum ac potuum parsimoniam, tempestivumq; & commodum exercitium. Et certè audeo cum multis affirmare, nullum regimen, nullamq; medicinam hisce præstantiorem esse ad sane vivendum, & ad vitam usque ad terminum certi hominis periodi a Deo constituti, propagandam. Et qui regimen hoc observare sciunt & possunt, frustra ab Indis

dis medicamina quæ juventam prorogent, & senectam retardent quærunt aut petunt: vel aurum potabile, aut auream aquam exoptant. quæ tamen si à doctis piisq; physicis fiant, tutò in usum transferuntur. De balneo quod laßitudinem & fatigationem ex itinere tollit, parum hic dico, ne longior sim, si omnia velim complecti. Paucis enim verbis monebo, ut cum per horam domi vel in hospitio quieverit, tunc balneet in tepida aqua quo ad delectat, & totum corpus leniter fricetur: deinde totum corpus, & præsertim junctura, ungatur, hyeme oleis calidis, ut rutaceo vel anethino addito modico vini boni: æstate rosaceo vel camæmalino: post dormiat in molli lecto benè tectus: excitatus rursus fricet, & balneet si velit: post juxta consuetudinem edat, bibat &c.

Alvum nimis fluentem facilè sistentia, vel adstrictam lenientia.

CAPVT VII.

PEculiare multis viatoribus est, ut alvus ex labore adstringatur: pos-

ſunt igitur ſuppoſitoria parari variis modis: aut ex melle cocto cum ſale, aut cum vitello ovi & ſale quantum recipit in raro vel tenui panniculo ligato, vel cum radice betæ rubeæ, vel larido ſalito & fumato: aut ſapone, vel inverſa ficu ſicca. Quod ſi per os potius velit aliquid accipere, poteſt decoctionis hordei paropſidem, in qua ſaccharum rubrum ſeu craßius diſſolutum ſit, bibere jejunus, vel jus carnis eius loco, vel intus malvam aut mercurialẽ inciſam, parumper bullire, aut expreſſo jure, additoq́ʒ ſaccharo aut melle, bibere, ac deinde ambulare, ut citius deſcendat ac alvum moveat. Sunt delicatiores qui craſſæ uvæ zibedæ vocatæ grana decem vel duodecim ſine arillis edant, aut cochlear uvæ corinthiacæ antea in albo vino lotæ ac tumefactæ, vel aliquot elixa pruna damaſcena: aut horis tribus ante prandium dimidiam drachmam rhabarbari triti, cum liquore aliquo bibat, vel maſticando transglutiat: vel ad horam ante cœnam glutiat drachmam pilularum communium ſeu peſtilentialium.

aut tandem, si admodum exsiccatæ sint in ventre inferiori fæces, capiat commune enema seu clystere. vel olera in jure carnium, aut cum aqua et butyro et sale cocta edat initio vel ante cibum, ut betam, spinachium, atriplicem, blitum, mercurialem, braßicam semicoctam, lupulum. Vrtica major vel magna cocta in cervisia usque ad consumtionem, & iterum in secunda cervisia cocta & pota, solutionem facit optimam. Abscintium quocunq; modo sumtum mollit ventrem, & melius si fuerit coctum aqua pluviali & sub dio infrigidata, & pota. Efficaciter etiam emollitur alvus dura, si nudis pedibus æstate pavimento aqua asperso quis ambulaverit. Frequentius in prandio bibere, alvum liquidam reddit. Calida & humida in communi expultricem vim roborant.

Alvum sistentia.

Si vero alvus nimis cita sit, & natura per duos vel tres dies facilè ferat, ne illico adstringatur: si autē nimis symptomaticè, & aliqua virium prostratione, sollicitet, statim adhibeantur remedia.

Sed ſi itineris initio corpus non purgatum fuiſſet, aut alioqui cacochimya laboraret, hæc vel ſimilis adhibenda foret purgatio: Recipe corticum mirobalanorum citrinorum drach. 2. terantur ſubtiliter, & poſt rurſus cum ſemiuncia ſyrupi violati vel (ſi ventriculus imbecillior) cum melle roſ. col. commiſceantur benè, & cum aqua bugloßi & cichorii ana unc. una, miſce & bibe horis tribus ante prandium. Vel rhabarbari immaturi drach. unam, vel minus ſumatur & cum ſpicæ odoratæ granis quinq; vel ſex ac totidem maſtiches, optimè trita exhibeantur cum aqua aliqua vel decocto convenienti. Poſt utatur cibis adſtringentibus, ut oriza bene cocta, pulte ex avenæ farina aſſata, ovis in igne benè coctis: aquam chalibeatam bibat, niſi vires debiles vinum requirant, quod detur rubeum auſterum, vel ſubacerbum: ſi materiæ inteſtina læderent ulcerando, fiat clyſtere lavativum cum libra aquæ hordei, additis duobus ovorum vitellis, et uncia ſacchari rubei. Si fluere pergat, ſumatur decocti plantaginis vel poligo-

ni lib. in quo diſſolve ſepi hircini ſemiunciam, olei roſacei unc. gummi arabici, tragacanti ana drach. unam, fiat enema tepidum. Prodeſt in promtu habere ſaccharum roſaceum vetus, nempe duorum vel trium annorum, ex eoq́ʒ ſemiunciam vel plus ſumere ante cibum per horas duas: poteſt coralli rubei pulvis admiſceri. vel ſumatur vinum aut conſerva cotoneorum. Inungat etiam ventrem oleis cotoneorum maſtiches, myrthi ana, additis pulviſculis corallorum rubeorum, maſtiches, balauſtiarum, & ſimilium, & poſt unctionem ſemper ſuperponatur pannus lineus triplex vel quadruplex calidus, & quieſcat. Pauperes habeant pulverem corticum ſuberis, quo utantur initio cibi. facile et nulla impenſa invenient apud ſutores ſeu calcearios, qui crepidas faciunt. Alvo nimis fluenti ex debili ventriculi concoctione, medicamentum hoc mire prodeſt initio menſæ: ovi recentis luteum induratum & tritum in teſta ſua imponi debet, mellis puri cochleario addito cum maſtiches farinæ ſcrupulo uno,

omnia ferventi cinere surculo versando commiscebis : id tribus diebus datur jejunis, interea stomachus oleo mastichino illinitur. Nuclei acinorum acidi punici siccati seu tosti et tusi ac obsoniis inspersi incoctive, fluentem alvum stomachumq; cohibent. madescunt aqua calesti bibunturq; salubriter sanguinem rejicientibus aut mingentibus.

Capitis dolorem ex variis causis tollentia, vel ab eo præservantia.

Caput VIII.

NOn rarum est viatoribus, caput dolere, ex magno exercitio, elevatis vaporibus internis, aut ex multo potu, vel à sole attrahente, aut à vaporosis cibariis: si igitur pharmacopolii sit commoditas, Recipe syrupi de papavere unc. unam, oxisacchara unc. dimid. decocti seminum majorum unc. duas, misce, fiat haustus, sume horis tribus post cœnam, & mane surges liber. Sed si caput præcipue incaluerit ex sole vel labore: Recipe aquæ rosarum unc. unam & dimid.

mid. olei violacei, rosacei ana drach. unam et dimid. aceti rosati drach. duas, albumen ovi recentis, caphuræ grana 2. contunde simul omnia, & intinge linteolum vel institam & superpone fronti et temporibus: vel tere in mortario semen papaveris albi et cum rosacea confice in lactis formam, & fronti ac temporibus superliga quandocunq;.

Inquit Alexander Benedictus, in Græcia insolatas fœminas ac mares, levari dolore infinities vidimus, aqua frigida sincipiti inverso poculo.

Dolori capitis ex ebrietate, folia brassicæ grandia, lenia, in aqua frigida infusa, imposita, & fascia adalligata, mirè adversantur.

Dolori capitis ab acuto humore in ore stomachi, ut biliosis contingit: ventriculum in primis necesse est aquæ tepentis potu ad vomitiones irritare. Nam qui digito aut penna vomitus sollicitant, improbantur: deinde cibus offerendus est boni succi, qui stomachum adjuvet. fames & abstinentia eo in casu damnatur.

In

In causa mixta vel frigida, pulegium coctum in aceto & cataplasmatum, capitis dolorem solvit. Abscintii stillatitia aqua temporibus illita, dolorem capitis a frigore ortum mitigat. Capitis dolorem vehementer calidum sedans: succi psilii aut ipsum psilium terito cum rosaceo sufficienti, & reduc ad aliquam craßitudinem, & inunge tempora & frontem. Capitis dolorem confestim sedans, hederam contunde immaturam, & ubi probe contuderis, per linteum exprime succum, eoq; irrigato nares & frontem cum rosaceo tepido.

Caput dolentibus somnum inducens, utile: Recipe opii scrup. unum tritum irrigato cum lacte muliebri, & imbue ex eo tomentum: appone ano, temporibusq; ægrotantis, & dormiet. hoc in coliceis etiam admodum laudatur.

Ad capitis dolorem ex aëris intemperie seu vento frigido, valent fumigia ex herbis calidis in vino rubeo bullitis, in vase sic operto, ut fumus non amittatur, sed per nares & os sumatur.

Antiquo capitis dolori maximè valet

let ſectio venæ in fronte: vel ejus quæ eſt inter pollicem & indicem manus. Sed qui plura optat, conſulat medicos ſcribentes, aut bene medentes.

Sanguinis narium fluxum ſiſtentia, vel urinam ſanguineam, eiusq; ardorem ſedantia.

CAPVT IX.

EX conſtanti & forti exercitio, accedentibus etiam calidis & acutis cibariis, ſæpe fit ardor urinæ dum mingere opus eſt: interdum etiam ſanguis mingitur. Victus igitur regimen in primis tale ſit, ut humores non incendat, aut bilem generet, vel ſalſum phlegma: vitare oportet ſalſa cibaria, vel aromatibus referta, vel inſperſa, cæpas, allium, raphanumq; vitet. Lacte capræ potiſsimũ ſtatim mulcto, & ſacchari pulvere indito jejunus ad horas plus minus tres ante prandium bibat. Vtatur ejus loco lacte amigdalarum, edat vitulinos pedes, ova recentia ſorbilia, lacte utatur etiam vaccino cum ſaccharo cando, hordeo benè cocto, & prius à cortice mundato vel

fracto, jure gallinarum pinguium, farina orizæ cum jure carnium cocta, pulte ex amido, spinachiis jure abjecto, vel boragine, ac lactucis, bibat lac amigdalarum, vel decoctum glycirrhyzæ, vel ea vinum haud vetus diluat: cui rei etiam aqua plantaginis minoris convenit: non in dorsum dormiat, & raro etiam super dextrum latus. Caveat ab ira, à muliere, & ab exercitio quantum possibile est. Si dolor & ardor perseveret ac urgeat, bibat singulis duabus horis, præsertim ante cibum mane ac vesperi ex sequenti lacte: Recipe amigdalarũ dulcium unc. quatuor, seminis papaveris albi unc. duas, superfunde his aquã calidam, non tamen bullientem, tege per horas quinq; : postea excortica amigdalas, & his atq; semine tritis, misce vel dissolve cũ cremore hordei, in quo gummi dragacanti dragma, & scrup. unum gummi arabici puri ebullierint.

Conferunt & semina melonum saccharata, initio cibi sumta. Vngantur & renes tali vel simili unguento. Recipe olei amigdalarum dulcium, violacei

ana

ana unc. dimid. aceti roſati drach. duas, ceræ albæ q. s. fiat unguentum, vel ejus loco, unguento albo Galeni &c.

Ardori urinæ ac rènum lapidi opitulatur aqua corticum vel ſiliquarum fabarum. Aqua etiam ex althea optima eſt urinæ ardori. Item aqua caudæ equinæ ſeu equiſeti. Decoctum parietariæ: & infinita quæ brevitatis cauſa omitto.

Sanguineæ urinæ inter cætera prodeſt panis lacte, detracto butiro, madens. Obſonia vino mali punici condita. Vinum nigrum acerbum dari poteſt, non autem potens. Nocet, ut antea dixi, ſalſugo & acrimonia. Vbi verò ſanguis judicialiter à natura propellitur, remedia non adeo neceſſaria ſunt, niſi virium defectum cognoveris.

Narium ſanguinem ſiſtentia.

Calor, tum etiam motus illum excitans, potiſsimumq́; in ſole peregrinantibus, ſolet narium ſanguinem elicere: qui ſi diutius perſeveret, hepar depauperando, debilitat: & inde alia mala ſequuntur, medicis nota. Si ergo ſanguis vel a ſole, vel a cibariis calidis & acutis

ſubtiliatus et acer factus ſit, caveat ſubinde ab aromatis, & ab his conditis cibariis aliisq́, ut ut paulo ſuperius dictum eſt. Vtatur oleribus frigidis, portulaca, ſpinachiis, lactucis, endivia. omittat vinum. odoret canphoram, vel acetum roſaceum cum aqua roſacea mixtum, vel violas: fiat tale reſtrictivum emplaſtrum: Recipe boli armeni & pulverem ex molendino, & cum aceto roſaceo & ovi albumine, fiat emplaſtrum ſuperponendum fronti & temporibus. Quod ſi non ſatis ſit, madefac pannũ lineum in aceto aqua recenti æqualiter mixto, quo collum circunda. Confert & cucurbitulam ſine ſcarificatione affigere ſub hypocundrio è regione foraminis à quo fluit ſanguis, ut ſi à dextro, ſuper hepar: ſi a ſiniſtro, ſuper lien. Si nec hoc modo ſiſtitur, tum venam cubiti internam ab eodem latere ſeca, & circiter unciam ſanguinis fluere ſinas. vel pulveres conſtrictivi naribus inſufflantur: ut ciceris uſti, vel papyri combuſtæ, neq́ emungantur nares, aut ſcalpantur. teſtas ovorum, è quibus nati ſunt pulli,

combu-

combure in pulverem, insufflaq; in nares: constricto ejusdem partis digito, persæpe sistitur. alii Iaspidem apponunt, vel secum nuda super carne deferunt. pervinca herba seu clematis prima in ore retenta, sistit. aut bursa pastoris in manu ab eadem parte retenta, ut intus caleat herba in palma manus, & in ore. alii folium quercinum super linguam ponunt. Sed quid opus est remediorum catalogum texere? nimis sunt ista.

Febris ephemera ex itinere, vel aliarum initia, ut tollenda, vitandaque.

CAPVT X.

NOn solum peregrinus aër et malus, exteraq; regio, sed in primis inordinatus motus & exercitium super cibum, obstructiones, & proinde putredinem, ac febrim causat: at frequentior ephemera est ob motum, & laborem, atque calorem. Aër igitur loci, vel cubiculi saltem, refrigeretur, cum rosis, vitium foliis & palmitibus, vel aquæ cum aceto irroratione. Comedat ptisanam

hordeaceam, vel etiam avenæ pulticulam cum tantillo aceti, herbas refrigerantes, ut ſpinachia, boraginem, lactucam, endiviam, acetoſam. Bibat loco vini aquam hordei, vel vinum granatorum, vel cum eo aquam recentem miſceat, aut cum ea julep violaceum: vel ſi abſit capitis dolor, et vires labantur, utatur vino diluto vel oligophoro. Quieſcat in primis, & parum loquatur, ne interdiu dormiat, niſi nocte nimium vigilarit. Caveat ab ira & triſtitia, vel nimiis cogitationibus & curis. inter lectum (ſi plumeus erit) & linteamen ſit culcitra linea vel coriacea. Si venter non fluat, leniatur vel aliquo ex ſupradictis in capite 7. vel hoc lenitivo: Recipe caßiæ recenter extractæ unc. unam, cum ſaccharo fiat bolus, ſumat mane ad horam vel duas ante cibum. Sequenti mane, ſi febris perſeveret, nec vires aut ætas prohibeat, aperiatur dextra vena in brachio, nempe hepatica, & ſanguis ſufficienter educatur, pro ratione tamen ejus malitiæ vel bonitatis, & viriũ &c. Si verò nondum humorum & ſanguinis craßities

&

& obstructio remota sint, utatur aliquot matutinis sesquiuncia syrupi acetati simp. & endiviæ cum duplo aquarum cichorii et boraginis: demũ detur drach. una boni rhabarbari vel circiter per noctem, in aqua endiviæ secundum artem infusi vel diluti, cum granis tribus vel quatuor spicæ, & inde fortiter expreßi: cui in dilutione semuncia vini albi clari addi posset. Symptomata, quæ febrim comitantur, alibi in hisce capitibus ut plurimum reperies. Tertianæ & quartanæ febribus resistit aqua stillatitia plantaginis: cyatho ejus ante febris invasionem sumto, & multa alia interna corporis vitia sanat, & menses cohibet. eadem præstat succus ejus aliquot diebus potus. Vt quis ferè non patiatur ab ulla febre: Recipe succum fumariæ depuratum, in quo passulæ diebus tribus vel quatuor macerentur, & ex alembico vitreo stillatitium liquorem cum aqua lactis præbeto. Bibere urinam propriam curat febres phlegmaticas. Tres quatuórve sanguinis asinini guttæ in vino sumtæ febrim pellunt quotidianam.

A venenis præſervantia, vel curantia; deq; cibis malis noſcendis &c.

CAPVT XI.

Magnatibus præcipuè interdum accidit, ut in itinere ab inimicis & pravis æmulis venenum variis modis apponatur: neq; ſemper fidos prægustatores aut coquos habeant, qui ſi præcavendi modos ac curandi artem integram volunt, non deerunt illis diligentiſsimi Matthioli commentaria in ſextum librum Dioſcoridis, tum libellus Petri Aponi, & Cardinalis à Ponceto, aliorumq; plurium. Mihi ſatis est facilia & præcipua quædam paucis ſcribere, mediocribus & incautis viris: aliâs plura & non communia ſcripturo tum hac de re, tum etiam de aliis, ſi ad paucos annos Dominus Deus aliquando Mecœnatem dederit. Conſultum igitur in primis eſt, ut cum viator in aliena menſa vel regione parum amica ſuſpicatur ſe veneno peti, ut in cibo & potu non velox ſit, ſed cautè guſtet, num extraneum aliquem ſaporem vel odorem ſentiat: nec ſe a fa-

me vel ſiti vinci ſinat: & ea vitet quæ ſuſpecta habuerit: & omißis compoſitis cibariis, utatur ſimplicibus, & communibus, vel ab aliis antea prægustatis.

Sunt multa, quæ certò præſervent à venenis ferè omnibus, & inprimis illud Avicennæ ac Mitridatis regis: foliorũ rutæ unciam, nuclei nucis purgati & ficuum ſiccarum ſeu caricarum ana unc. dimid. ſalis drachmam unam, terantur omnia ſimul, & utere ante cibum. Alii theriaca diateſſeron drachma una vel altera utuntur, quæ facilè paratur & habent, valetq; in præſervatione & curatione, præſertim in morſu venenatorum: valet angelicæ radix, cardus benedictus, ſcordeon & multa alia: quorum mentionem fecimus in libello noſtro de præſervatione à peſte. Si quis verò jam venenum hauſerit, erunt ſigna varia: tumeſcunt enim venæ ac facies, fitq; rubea, ſudat, ardet, ſitit, & anguſtiatur, difficulter anhelat, fœtetq; anhelitus, oculi ad flavedinem inclinant, iraſcitur. Si venenum frigidæ ſit naturæ, vertiginem & tremorem incurrit, vi-

sum amittit, tremunt labia, & fortiter dormit, aut dormiturit. Signa veneni assumti descripta à Cardano sunt, mœror, vigilia, malus color faciei & linguæ: & in assumtione semper sentitur nausea, qualecunque venenum sit, & livor unguium tandem supervenit: sapor etiam in ore præter naturam sentitur. Cum igitur venenum assumtum est, sine mora virus foras exhauriatur, priusquam invalescat. Vomitio protinus concitetur hydreleo tepente, aut butyro, aut adipe anserino ex aqua calente, aut malvæ, aut seminis lini, fœnigræci, aut urticæ decocto. Quæ singula, præsertim oleum, non modò vi relaxante vomitiones vomentur, sed & perniciei vim acrimoniamque obtundunt. Quinetiam reliquiæ intestinis inhærescentes, clystere acri deducendæ, in quo hieræ tum simplicis tùm compositæ, & mellis & nitri magna vis insit. Aspergatur facies aqua rosacea, detur drachma bonæ ac fermentatæ theriacæ. Si vomitivo sumto non vomeret, intinge summitatem pennæ in oleo, & gutturi impone; nec satis sit se-

mel vomuisse, aut semel theriacam vel aliud remedium aut antidoton sumsisse. ligetur etiam theriaca super umbilico. Nonnulli factis supra & infra purgationibus, cœpe in cineribus assatum ligant sub pedibus, ut venenum magis ad infernas partes trahatur: & sexta quaque hora theriacam aliquam exhibent.

Tormentillæ radicis pulvis sumtus, omne venenum intus & extra pellit.

Pulvis mirabilis contra toxicum et omne venenum, ita ut qui isto utatur, non moriatur ex veneno: non solum autem præservat, sed etiam, si quis venenum jam sumserit, capiat ex pulvere cum vino calido, & curabitur. Recipe pimpinellæ vulgaris radicis tormentillæ, cinnamomi electi ana unc. dimid. materis drach. unam ligni aloës, granorum juniperi, zinziberis ana drach. unam, radicis angelicæ drach. dimid. fiat ex omnibus pulvis subtilissimus. dosis plus minus drach. una juxta sumentium vires & necessitatem.

Asserunt aliqui, si Iacinthus lapis col-

lo aut digito positus sit, securum à venenis & hostibus facere. Ita virga mirti.

Pedes iter agentium, vel aliorum ut curentur, aliaq; eorum accidentia.

CAPVT XII.

EX duris aut arctis calceis vel ocreis pedes interdum læduntur, ita ut etiam iter remorentur: remedium prestò erit, si agni vel ovis calidum ut ab animali trahitur pulmonem superliges: aut saltem aqua ex illo expressa illinias. Si ulcus adsit, insperge cinerem ex calcus veteribus aut soleis: alii gallinæ stercus superponunt. Si verò ex viæ asperitate scissura vel ragades fiant, hoc sequenti unguento utere: Recipe litargyrii argentei, myrrhæ, Zinziberis ana, in pulverem redigantur, & cum cera virginea, melle & oleo q. s. fiat unguentū.

Dolori pedum ex via, inunge succum cœparum.

Tumori pedum: Recipe succum sambuci & axungiam, misce & unge, citò sanat.

Dolori & inflationi pedum: cicutam coctam in vino albo, quo lava.

Ad idem: sevum arietis misce cum oleo, & unge, sanabitur.

Vt in eundo non labores: rutam pistatam, vel ejus succum misce cum oleo, & pedes unge. Pix rimis pedum ac sedis utiliter illinitur.

In aqua coctum gallium herba et flores, lassitudinem pedum & membrorum adjuvat. nonnulli cum alba cera contra hoc ipsum membris illinunt.

Cum pedes ac crura dolent propter iter: bulliat cinis cum aqua, & cum hac lana quantum calidius ferre potes. adde camæmalon si magis roborare vis &c.

Iter agentes pedes si secum artimisiam in calceis, aut manu deferant, minus lassantur ex itinere: & herba ipsa tusa cum axungia & applicata, dolorem pedum tollit ex itineris fatigatione.

Plantago trita cum aceto, pedum tumorem cum dolore à fatigatione factum tollit.

Cœparum succus exiccatus, & cum thure et adipe gallinæ mixtus, delet callos ex itinere factos. *Vete-*

Veteramentorum seu solearum antiquarum sotularum seu calceorum cinis, vino vel axungia vel alia re convenienti mixtus, curat abscessum vel tumorē ex calceorum adstrictione factum.

Dracunculi majoris seu serpentariæ elixatura pernionibus seu (Italicè) mugis, quæ in calce pedis fiunt, optimum fertur esse remedium. idem de spinarum rubi cinere fertur. eas etiam curat, etiamsi tumor adsit, cotylidon seu cymbalaria applicata.

Scissuras item pedum ac manuum à frigore factas curat unguentum ex olibano adipe porci & anseris. Item cinis cancrorum flumatilium: & cinis ungulæ asini cum axungia porci, vel anseris: imò etiam abscessus apertos ille cinis curat.

Scissuris manuum præterea & pedum ac labiorum post epithimationem cum aqua calida, confert (imò eas curat) sequens unguentum: Recipe ceræ citrinæ, œsippi humidæ, adipis anatis ana unc. unam, olei rosacei unc. duas, amyli, tragacanti, mucaginis seminum

coto-

cotoneorum ana unc. dim. fiat unguentum, quo ungatur ut supra.

Eques hyeme iter agens antequam viæ se exponat, fricet saltem pedes multum, deinde cum oleo convenienti, ut de stichade, vel de euforbio, aut de camæmalo vel alio, rursus fricentur ungendo, ut caliditas ad actum deducta melius conservetur: facta fricatione, immediatè pannis lineis, aut canapinis vel bombicinis mollibus involvantur, deinde lana succida supponatur plantæ pedis, postea calcietur sotularibus vel ocreis largis, in quibus pedes & pedum digiti moveri poßint. Et cum congelari inceperint, fiat iterum fricatio et unctio. Nec vanum est quod submergere extremitates in aqua frigida confert in tali membrorum stupore, ut videmus in pomis congelatis: si enim ponantur in aqua frigida, redeunt ad suam naturam: si verò propè ignem, minimè.

Causa vero est, corroboratio contrarii per antiperistasin, quo confortato, membrũ totum in circumferentia plus calefit, præsertim quia caliditati recipienda

endæ aptius sit factum ex aquæ remollitione & humiditate.

Experimentum in laßitudine ac tumore tibiarum: Recipe melissæ, foliorũ lauri, camomillæ ana man. unc. rosarum siccarum man. tres, fiat omnium decoctio in vino vel aqua juxta tempus & personam, & laventur tibiæ.

Hyeme iter agentium præservatio vel curatio à cæcitate ob nives.

CAPUT XIII.

CONtingit interdum per longas nives viatoribus incedendum esse, qui si incautè continuò nives inspiciant, cum albedinis sit disgregare spiritus visivos, dißipantur oculorum operationes & potentiæ. Induant igitur per contrarium, nigras vestes, aut nigrum aliquid saltem præ oculis portent, in quod oculos figant, ut spirituum fiat congregatio & unio. Aliqui præungunt oculos felle picæ avis, quod mirè oculos servat à nive. Cum verò non hanc solùm noxam oculi patiantur, sed etiam præ compositionis nobilitate & mollitie à frigore nimio & conti-

continuo patiantur, providendum erit de vitreis aut chryſtallinis conſpiciliis, oculis ſuperligandis, ut jam diu ſit ab his qui rem norunt: & talia conſpicilia parvo ab inſtitoribus venduntur: et utriq; oculorum nocumento conferre poſſunt: imò etiam in maximo calore, ſiq; pulvis copioſus in viis ſit, qui non parum oculos lædit, & interdum excæcat, ut experti norunt. Proderit etiam in hyeme ac nivibus ambulaturis vel equitaturis (nam de omnibus par ratio) ne jejuni domô exeant, ſed libum aut quid aliud conveniens edant, et ex potenti vino pauxillum bibant, ut magis frigori & congelationi reſiſtant. Confert & calida odoramenta habere, ut pomum ambræ, vel ex ladano aromatis & moſcho habere, ut cerebrum calefiat & confortentur ſpiritus. Pauperes pulegiū vel mentam ſecum ferent, aut ſimile aliud odoratum. Inſuper caput & collum ac aures, & omnia denique benè tegere laneis mollibus pannis aut pellibus ne negligant. Nec ab re erit ſingulo veſperi pedes & manus aqua benè ſalita lavare,

a quo

quo magis contra frigus durentur: ſed hoc ad caput pertinet ſequens. Tabeſcere oculos certum eſt ex caliditate nimia aut frigore. Si igitur nive malum obortum eſt, linteolo atro ex calefacto crebro fovendus eſt oculus: aut ex decocto paleæ tritici lana ſuccida infuſa tutò medebitur: aut lapide candefacto vinoq; extincto, ut ſubinde oculus vapore ſuffumigetur.

Præſervatio vel curatio à congelatione & aliis ex frigore morbis.

CAPVT XIIII.

SI eques congelatus ſit, non ſtatim in calidũ locum ducatur, natura enim repentinas mutationes non fert, ſed in temperato loco moveatur & paulatim caleſiat. Si autem ex frigore induratus etiam ſit, exerceat ſe ut poteſt, & fricentur membra cum oleo liliaceo calido, aut anethino, vel camæmalino, & in lecto locetur & benè tegatur, & ſomnum dormiat: poſtea cum potenti vino detur parum ſucci cyrenaici ſeu aſſæ fœtidæ,

vel

vel dulcis, ſeu benzoini in pulvere, vel piper aut myrrha, & poſt horam cibetur cum aqua carnis, de qua ſuperius capite ſexto, vel ſimilibus cibis roborantibus. Cuſtoditur à frigore, ſi mane nuces cum alleo contuſas in jure carnium comedat aut bibat. Aliàs poteſt viator ſecum aliquam calidam confectionem ferre, qua mane ante exitum utatur, ut conditum ex raphano, nuces conditas, zingiber conditum, vel calamum aromaticum conditum, & ſimilia. Si aliquod membrum ſit congelatum, primo ponatur in aqua frigida, vel ſtatim à fonte vel puteo hauſta, & ibi aliquandiu ſiſtatur, ut remolleſcat: poſtea fricet cum aqua vel ſucco raparum aſſatarum, vel oleo aliquo calido, aut eas in modum emplaſtri ſuperliget. Si verò membrum vel pars jam nigra eſſet & mortua, abſcindenda eſt, ne alias partes inficiat: & tunc periti tonſoris aut chirurgi opera requiritur. Sed præſtat docere quæ præſervent.

Ne igitur a frigore in manibus vel pedibus patiaris, dicunt aliqui ungen-

das esse manus oleo & lacte: puto id fieri (nam expertus non sum) quod poros obstruant, nec frigus intret. Aliud: succum urticæ misce cum butyro, & unge ubi vis. Vnge (id omnibus certius) manus & pedes cum vulpis pinguedine, & non senties frigus. Aqua stillatitia ex putrefactis rapis, damnis pedum ex frigore contractis, calida sæpius cum linteolo applicata prodest. Qui frigore pereunt, mortis initium à genitalibus suscipiunt: unde juvat ea fovere vel bono vino calido vel utcunque. Paulus Ægineta sic inquit: Algore plus æquo intenso affecti, locis calidioribus, unctulo vel cyprino vel irino delibuti, decumbant: deinde calore nonnihil restituto, piperis quiddam, aut myrrhæ cum vino dulci odoris optimi, annoso, vel succum cyrenaicum è mero, sive aceto, vel pyrethrum, vel castorium ex aceto devorent. Alimentum autem calorifica vi præditum & moderatum offerendum est. hactenus ille ex Oribasio. Vngantur extremitates oleo de euphorbio calido, fricatis prius fortiter illis: vel cum oleo de pyretro,

tro, aut de piperibus: vel ſimili compoſito additis pulveribus & cera q.s. Confert tenere in ore tria vel quatuor grana piperis, vel caryophillorum, vel cinnamomum, vel ſimile aliquid: & uti aromatibus, ſinapi, allio & nucibus: & ſumere cibum, non multum tamen, antequam ſe itineri dedat, vacuitas enim obeſt. Siler montanum ſeu ſeſeleos ſemen cum bono vino bibitum, præſervat à frigore, etiam tuſſim pellet. Transiturus per loca frigidat non careat oleis calidis, ad ungendum collum & nucham: nec cooperimentis illorum, nec odoramentis calidis. Vngat pedes & manus & extrema alliis tritis contra frigus, vel galbano vel kitran ſoluto in vino albo, claudat os & nares, & teneat in ore quod dictum eſt ſupra. Si quis habet congelationem alicujus partis, oportet ſtatim & multum calefieri. Tria verò mala potiſsimum contingunt extremitatib. tempore frigido, inſenſibilitas quædam, tunc tempera membrum aqua decoctionis lilii, aut caulium, aut florum camomillæ, & embroca poſtea vinum decoctionis

eorum. Aut contingit lividitas seu obfuscatio, tunc scarificentur benè in aqua calida, ne sanguis coaguletur in poris vulnerum: & cùm fluxus per se quieverit, epithima cum bolo armeno & aceto aut hujusmodi. Aut venit ad nigredinem seu viriditatem, & est putredinis signum, quam amove, ut supra dictum est, ne sanum corrumpat.

Præcautio ab ebrietate in itinere ac lapsi curatione.

CAPVT XV.

NEmo ferè nescit, quantum ebrietas corpori, animæ, ac spiritui, noceat: & tamen tam facilè hujus voluptatis hamo capiuntur homines, præsertim qui ad Septentrionem vergunt, ut cum nullius utilitate ac ipsorum damno, nedum sponte affatim bibant, sed in gratiam vanam sociorum, nescio quorum, superfluè atq; ad ebrietatem usq; bibant, & rebibant. Sed quia de ebrietatis incommodis multi scripserunt, & nos etiam aliquid diximus in libro nostro de vino, cap. 3. hic non est quod multa repetam:

vide

vide ſaltem Eccleſiaſtici 32. Satis eſt in ſumma hoc, inebriari eſſe facultates & uſus ſenſuum amittere, exire de poteſtate rationis, judicii, mentis, planè ex homine fieri pecus, vel ſaxum. Conceditur quidem hilaritas his qui indigent ea: ſed cum lubricus ſit gradus ab hilaritate ad ebrietatem, imò hilaritas ſit janua ebrietatis, cavendum eſt, ne dum velimus eſſe hilares ex vino (cum ſatis ſit ex bona conſcientia & puro corde hilaritas) ex intemperantia fiamus deteriores quàm belluæ, quæ hac in re modeſtiores ſunt. His tamē qui facilè nec data opera inebriantur, remedia præſervantia non denegemus. Pulmones igitur ovinos qui antea ederit, non facilè à vino tentabitur. Sunt qui elixos, ſunt qui aſſatos magis probent: qui ſi etiam crudi vorarentur, idem præſtarent. Idem præſtat, jam cognita antipathia, ſuccus caulium præſumtus, imò caules etiam poſt potum quantumcunq; comeſi, prohibent vini vapores aſcendere ad caput.

Ariſtoteles commendat olivarum oleum præbibere, quod per urinam pellat

cito vinum, & vapores aſcendere prohibeat: id quod & poſt ebrietatem ſi detur prohibebit, vel ſaltem vomitum concitabit. Columella laudat abſcintium præſumſiſſe ante certamen poculare. alii ſeptem amigdalas amaras: conferunt & dulcia in fine ſeu poſt potum, quod vaporent minimè. Commendatur Avicennæ ſyrupus ex ſucco alborum caulium, ſucco granatorum ana unc. duabus, aceti unc. una, bulliant, & fiat ſyrupus, ex quo uncia jejuno ſumatur. Plura docuimus prædicto lib. de vino cap. quinto, quæ viatori non ita præſtò ſunt. Si quis verò jam ebrietatem incurrerit, remedium eſt ut plenitudinem ſequatur evacuatio, præſertim per vomitũ, ſumto pauco oleo in aqua tepida: aut ſumatur decoctum raphani addita uncia oximelitis. Poſt dormiat diu, vel ſponte, vel remediis ſupra cap. quinto dictis. Cibus poſtea paucus ſit, & ex lente, vel lactucis, aut caulibus non plenè coctis: vel gelatina ex pedibus porci, vel ut poterit. Ante ſomnum involvantur teſtes linteolo in aceto calido madefacto, mammæ

verò

verò in muliere. Amethyſtus lapis ex albo puniceus, ſuperligatus nudo ventriculo, fertur ebrietati, ne fiat, reſiſtere. Capitis dolor inde ſequutus oleo curatur camæmalino calido: & ut capite octavo dictum eſt.

Pediculi a corpore vel veſtimentis ut tollendi, & defenſio à pulicibus &c.

CAPVT XVI.

NOn infrequens eſt viatoribus in longiori itinere, ac præſertim pauperibus, ut à pediculis infeſtentur: qui vel ex ſubcutaneo putridoq; vapore fiunt, & excrementi ultimi corruptione, vel induſii & veſtimentorum immundicie, cum mutari ac lavari non datur: id quod verecundiam & neglectum in hoſpitiis parit. nonnunquam etiam ex aliis ſerpunt, & tædium ac dedecus adferunt. Habetur in officinis pharmacopœorum, ſaltem Germaniæ, ſemper vili precio unguentum, ut ſæpius vidi ruſticos ementes, quod eos interficit & pellit. Sed & iſto vel alio tolli poſſunt: Recipe

staphisagriæ unc. unam, salis nitri, sandaracæ ana unc. dimid. terantur singula, & cum unc. duabus aceti scyllitici & oleo laurino, vel (ne fœteat) camæmalino q. s. fiat linimentum, quo ungatur ubi & quando oportet. Vel hoc fortius fiat: Recipe staphisagriæ, hellebori albi, salis petræ vel nitri q. s. bulliant in oleo, & illine. Item argentum vivum extinctum cum oleo rosaceo. Vel auripigmentum aut lithargirium in veteri oleo bullitũ cum tantillo aceti. Serapio sequens unguentum in primis laudat: Recipe aluminis jameni, staphisagriæ ana unc. 1. aloës, salis, ana unc. dimid. terantur et conficiantur cum aceto scyllitico. Confert & lavare indusia cum aqua salita vel marina, vel in aqua bullierint lauri baccæ tritæ, vel tamariscus, vel alumen, & ita extracta ab ea aqua ut siccentur permittere. Insperguntur & commodè inter indusia jam lota & sicca flores lavendulæ. Vuarignana docet ut alleum sylvestre, vel potius scordium in aqua bulliat, quæ pota, pediculos à toto corpore pellit. Si verò in superciliis aut in bar-

ba

ba vel alibi molestent quidam lati pediculi, quas piatolas vocant Itali, Germani filtzleus, bulliat ovum ut durum sit, & inde albumen exime, & superpone loco ubi hærent pediculi tales, et à cute exibunt, facileq; colligentur. Vel mollem linteolum lineum pone inter cutim & albumen ovi, & intrabunt linteolum, ut docet Arnaldus lib. 1. sui brev. cap. 19. Vel expediens erit, ut pediculorum locus fricetur eo instrumento, quo aurifabri utuntur ad extergendum inaurandas vel inauratas res. Goßipium seu bombax intinctus in terebinthina in sinu portatus, necat eos. Pediculos capitis conficit & demolitur lupinorum decoctio, caput frequenter lavando. Contra lendes valet nitrum cum axungia veteri & aceto. Pulices prohibet aqua vel decoctum rutæ. Virgulam sambuci decortica & inunge cum hirci pinguedine, & pone in cubiculo ubi vis, & adhærebunt virgulæ. Vel goßipium candidum per lectum sparge. Pediculos palpebrarum & ciliorum curant cum melle aut vino sandaraca & uva taminia iunctæ.

Remedium contra pulices

Facies & reliqua ut a solis ustione servanda, & a ventis & nocumentis calidi aëris cavendum.

CAPVT XVII.

QVi raræ sunt texturæ, ac tenerioris cutis, obnoxii magis sunt aëris nocumentis: ne ergo sol noceat, docet Aëtius tale remedium: ut in vase æneo cum sesquimensura seu libris quinque aquæ bulliat libra lupinorum, qui prius tamen per triduum in eadem aqua jacuerint & remolliti sint, & cum benè cocti erunt, fortiter exprimantur, & decoctum illud rursus bulliat ferè ad spißitudinem, & in vitro servetur ad neceßitatem cum sol ardet, ut facies aut collum eo inungatur. Ad idem facit omphacinum oleum, in quo portiuncula mastiches liquata sit. medulla cervina aliqui utuntur. Smegma ad eos qui sunt usti à sole, probatum ex myrepso. Similaginis succum sine ut subsidat, affundeq́ illi aquam, & accipe subsidentiæ unc. quatuor, commisce cum ovi albo quantum satis esse videbitur, & reduc ad mellis craßitudinem, illine vesperi: mane

mane autem absterge aqua tepida. Si ventus labia sciderit, inunge illa cum adipe anseris, vel bovis medulla: aut misce cervinum sepum cum sempervivæ seu aizoi succo & terebinthina. Vel expeditius & mundius, pone parum mastiches in vino tepido per noctem, & mane cum illo unge. Aliqui minus abhorrentes à sordidis rebus, aurium sordiciem labris illinunt: tela etiam araneæ supposita confert. Ad labiorum fissuras, inquit Paulus, amurca in ære cocta valet illita, & sanat: aut adeps anserinus cum melle & terebinthina æqualiter: aut foliorum rosarum farina cum œsipo & rosaceo: vel cum oleo seminis lini solo, unge. Est etiam labiorum fissorum cura mirabilis, si ovi internam pelliculam fissuris labiorum agglutines: aut quod membranæ instar circa palmularum ossa hæret. Profundiores verò in labiis fissuras adipe caprino vel anserino curato. Vt color faciei servetur, unge albumine ovi: si vis, admisce amilum, aut cum aqua gummi, aut cera. Paulus Ægineta sic: Qui æstu solis noxam con-

traxerunt, his, locis auræ expositis decumbendum est. Vultum præterea, manus, crura, gelidis undis irrigare. Sitim potu frigidæ pro consuetudinis ratione sedare expedit: hancq́ non confertim, sed paulatim facere: alimenti item parum, facile in partes digestibile, liquidum potius quàm solidũ assumere confert. hæc ille. Liniantur pectora & facies ex mucagine psyllii aut tragacanti, vel succo portulacæ cum albumine ovi conquassato & colato. Vtantur (ut aëri calido resistatur) reb. infrigidantibus & calorem alterantibus, de quibus ex parte dictum est capite quarto: ut syrupo de fructibus, & aqua seu succo hordei antequam iter arripiant. Capiat ante inceptionem viæ omni mane offam in vino granatorum aut citoniorum. Item si læditur à calore, lavet pedes aqua frigida: & si tunc aut aliàs sitit, trajiciat paucam aquam frigidam. Vtatur bonis cibis, facilis coctionis & boni succi.

Pecu-

Peculiarium quorundam morborum & accidentium equorum curatio.

CAPVT XVIII.

ETsi mulomedicorum sit & veterinariorum scribere aut docere pro equis remedia: cum tamen viderim antiquos Imperatorum Medicos non dedignatos esse etiam irrationabilibus animantib. quæ homini inserviunt, succurrere, volui et ego nonnihil hic ex magis necessariis docere: donec, Deo favente, integrum et utilißimum probatorum remediorum librum curandis domesticis animalibus edam. Primò igitur si equus ventris beneficium habere non posset, jube ut puer aliquis vel juvenis, qui non admodum crassas habeat manus, inungat benè manum oleo olivarũ maturo et bono, & per sedem seu culum (ut legistarum utar vocabulo) imponatur, & aridum stercus, quotquot invenerit, extrahat, iterum manũ ungendo & extrahendo quoad aliquid invenit, et curabitur. Si autem potius per os purgare velis, da illi oleũ tale ad unc. quatuor

tuor vel ſex, aut plus cum aqua ſimplici mixtum, & evacuabitur fortiter & benè, ac ſi clyſtere impoſuiſſes. Si equus edendi appetitum amiſiſſet, frica illi os & linguam cum ſale, poſt ablue bono vino, et paulatim ſeu parum ſingula vice da illi fœnum, & parum avenæ, vel zeæ ſeu ſpeltæ: & hoc modo melius edet. Vt pedem ſeu ungulam habeat duram: Recip. lib. unam mellis & lib. tres aquæ, & ſimul bulliant ad tertiæ partis conſumtionem, & eo ſæpius pedem inunges, citò fiet duriſſimus. Si mingere non poſſet: Recipe ova 6. recentia, & albumen evacua, atq; oleo olivarum imple, & per guttur projice, ſtetq; capite elevato, minget. Sed ſi adhuc non mingat, hoc ſolo cogetur: tere abſcintium benè & bullias cum aceto forti, & eo unge ejus virgam vel priapum. Idem faciunt allium & piper ſimul trita, & membro appoſita: nam irritant vim expulſivam. Si equus obſtinatus eſſet (Itali reſtivum vocant) & nollet progredi: habeas duas tenaculas, & iliorum pellem ab utroq; latere apprehende, & tenaculas liga benè:

nè: post aliquis retrò transversum coxas verberet fortiter virga viridi, vel alia, & præ molestia tenacularum ibit. Si equus clavo in pede à fabro ferrario (ut sæpe fit) læsus esset (clavatum vocant) reperto et aperto vulnere, ut fluat si quid intus est, ablue aceto & sale, post galbanum intus pone, vel saccharum liquefactum, aut (ut docet Fuchsius) verbasci fœminæ folium probè inter lapides tusum, & apposita solea ferrea, iter tuum tutò prosequere. Si algore correptus sit, madefac peciam lineam in oleo laurino, & freno involve. Si equus sit morosus dum soleæ apponi debent, cordulam fortissimam unge melle, & liga fortiter sub genu, & præ dolore quiescet.

Cautelæ quædam in itinere atq; hospitiis habendæ: deq; curru seu rheda.

CAPVT XIX.

REm mihi difficilem aggredior, & quam potius præstare posset & deberet senex aliquis mercator, vel qui aliàs, tanquam alter Vlysses, hominum

mores & multorum urbes vidisset. Nam etsi usque ad quadragesimumquintum ætatis meæ annum quo hic scribo, plus fortasse quàm velim peregrinatus sim, pedes, eques, navi, curru: solus, cum sociis, per Italiam, Rhetiam, Germaniam, Burgundiam, Sabaudiam: parum tamen est hoc, si ex mei solius experientia scribere velim. Cum enim jam diu dies mali sint, id est, tales, ut in eis homines mala omnifariam tum sua corrupta natura, tum communi & spirituali inimico cacodæmone instigante, perpetrent: quis tam cautus aut catus est, ut cautiones non dicam omnes, aut technas, sed ne mediocrem quidem earum partem scribere possit? Optarim quidem libros jam diu paratos à clarissimo viro Hieronymo Cardano de technis calidis & frigidis, & alia eius quæ in hunc usum habet, in lucem pervenisse, aut saltem vidisse. Is enim ut infinitæ est lectionis & observationis homo, ita naturali astutia etiã in mundi agilibus (ut vocant) non parum pollet. Sed lectores tamen ex ejus hactenus editis libris, præ-

sertim de rerum varietate, non pauca elicient. Ego saltem aliquem hoc capite excitabo, qui suppleat illud: quo liber iste suis capitibus omnibus id præstet, quod in eorum titulo posui. atq; ut tandem incipiam, majorem hac nescio cautelam, quam ut iter acturus ad aliquod negotium peragendum (nam de ociosis & vanis hominibus vel de apertè malis nihil dico) ita coram Deo cordium scrutatore agat bona conscientia, & juxta Dei verbum ac mandatum, ut profectionem illam Deus benedicere posit: benedictio enim Domini ipsa ditabit, inquit Solomon: tutus autem ubiq; est, etiam solus, cui Deus adest. Comitatur autem Deus fideles eum timentes & rectè nomen ejus invocantes, ac sperantes: quiq; erga proximum tales se gerunt, ut Deum per Christum æternum ejus filium et dominum nostrum erga seipsos agere optant. Deus enim charitas est, & qui manet in charitate seu dilectione proximi (non verbo & lingua, sed opere et veritate) in Deo manet, et Deus in eo. Scriptum autem est Proverbiorum

vige-

vigesimo: A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam? & Ieremiæ 10. Scio Domine quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, & dirigat gressus suos. Ad hæc autem oportet non stolidos esse, sed prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Nam, ut ad particularia deveniam, qui aurum & argentum in via vel hospitiis ostentat, is veluti fures & latrones invitat. Prona enim ad malum hominis, præsertim impii, natura, facilè lucri qualiscunque spe accenditur: Et proverbio fertur in Italia, furandi facilitatem facere hominem furem: Et non esse facile fidendum, ni velis decipi. Sunt enim nonnulli, & nimium ubique locorum multi, homines, Dei prorsus timore ac cognitione carentes, nimirum privati pabulo Evangelii vel doctrina Christiana: vel ex reproborum & Cainorum Iudarumque numero: qui nihil aliud ferè cogitant aut observant, quàm, non ut in sudore vultus sui, sed in alienorum rapina, vel occulta vel aperta, vivant. Atque ita viatoribus

&

& peregrinis vias obsident, hospitiaq; hac de causa frequentant. Et cum ut plurimum omnium egeni sint, opes & pecuniam vestitu aut falsa pecunia ostentant. Sciscitantur, rogant quo tendas? unde venias? & quid non? Sed cauti & cordati viatores facilè hos agnoscunt, & vitant, aut deludunt: simplices verò & inexperti non raro (nisi hospes admodum vigil & probus sit) illaqueantur. Sicut igitur, Cantabit vacuus coram latrone viator, ita sua benè abscondere, ac dißimulare in talibus, ac cautè ambulare, tutius est. Est aliud ociosorum hominum & nebulonum genus, qui cum non videant posse ulla via ex te aliquid consequi, non desinunt scommatis, sannis & dicteriis lacescere, & molestare: hos nisi poßis certò superare & coërcere, admonito loci hospite, patienter & placidè pro virili tolerabis, quoad Dominus Deus viam evadendi inveniet. Memini ante annos 16. cum Mediolani publico in quodam diversorio pernoctarē (nomen aut insigne nunc non succurrit, sed si illic essem, invenirem)

rem) atq; aliquot illic (ut ferè semper sunt in ea ampla civitate, lusores & miri truffatores) essent ex illa hominum fece, qui tamen sibi aliquid esse videbantur, quod domestici urbis forent, cum hospes mihi lectum indicasset satis benè stratum, in aula vel cubiculo, ubi quatuor aut quinq; alii erant lecti non incommodè parati, aliquis illorum furciferorum sciens quis mihi lectus esset assignatus, clamq; cubiculum intrans, nam ferè semper patent, & lodice cum linteamine superiore detracta, vitri frusta satis magna et tenuia per lectum disposuit a summo ad imum inter duo linteamina, putans me sine lumine incautumq; intraturum lectum, ac vulneratum iri debere, ac ita se habiturum occasionem cum sociis ridendi. Sed cum more meo prius lumine lectum, antequam decumbam, collustrem, facile scelus inveni, ac hospiti (licet frustra) indicavi: nemo enim fateri voluit se fecisse. Certò verò scio, me ne per somnium quidem illorum quenquam læsisse: nisi lædere sit, non ludere aut perpotare cum

talibus.

talibus. Anno 1550. mense Maio, in valle camunica agri Brixiani, cum sub horam cœnæ in hospitium, pluvia onustus & equo fesso, venissem, ubi plures erant hospiti inservientes semifamuli, adolescentes: cœnatm sum satis, pro loco, lautè: & cum sitirem, non peperci vino optimo & potenti, sed citra omnem ebrietatem: Cumque eo vesperi cum quodam equos venales ex Germania puto vel ex Varesio deducente mercatore, equum meum parvum cum magno & juvene permutassem, additis aliquot coronatis, crumenam, ubi non minus coronatis quinquaginta erant, liberè, ut in loco de quo mali quidquam non suspicabar, evagino, & coronatos illi numero. Parum post itur dormitum. Datur mihi proprius lectus, famulus hospitis exuit caligas, suppono cervicali ac capiti, eo tamen vidente, peram: dormio in utranq; aurem, ut ajunt, & profundè, præter morem fessus. Cum in aurora surgendum est, quæro crumenam, non invenio: hospitem clamito, ensemq; arripio, meq; eo nudo, in porta sisto, minitor

tor me non permissurum quenquam egredi, nisi quod meum erat inveniam: erant ibi advenæ aliqui. Interea hospes e lecto surgit, & adveniens admonet me ut rursus quæram crumenam in lecto: accedo, invenio positam in medio.

Sed longum esset multos casus percensere. Hoc satius est mente tenere, ut quod secretum esse volumus, ne cuiquã dicamus, aut ostendamus. Cum in hospitio interrogaris ab aliquo, quę haud bene noris, quo, vel qua pergas, aut quando, ancipiti responso illum fallere non inconvenit. Cum vulpe enim vulpinari in hunc decet modum, Cretesq; fas est mentiendo fallere. In Germania ferè nihil tale mihi accidit, præsertim in civitatibus & oppidis. Sed miserum est in pagis rusticis, aut ubi unicum est hospitium pernoctare: nam non solum tota nocte senties ebrios rusticos aut aurigas, sed vix unquam lectus datur purus. Si pedes peregrinaris, eo pejus tractaris, nisi hospiti sis notus, aut strenam numariam ancillæ aut famulo promittas ac dones. Si te hospes quicunq; videat malè

vesti-

vestitum, aut immundo indusio, vel habitu militis Hispani peditis, vix boni aliquid obtines. Sed hæc variantur pro regionum & hominum moribus & religione. Consultum est, ubiq; locorum se hominibus pro tempore, sine peccato tamen, accommodare. Interdum facetum se præstare, aliàs gravem, cordatum, & audacem. Ne unquam libro careas aliquo honesto, qui tibi congerronis loco sit dũ vacat. Per Rheticas alpes peregrinari non solum arduum, sed ob rerum multarum penuriã interdum valde incommodum. Aliquando panem non inveni, interdum nihil fœni aut palearum pro equo: bene tamen numerare oportet: sed hoc nunc ubiq; ferè commune.

Quæ verò jucundum iter reddere possunt (ait Cardanus) lecticæ hyeme, essedum æstate præferes. Essedo adeò commode ferebantur Augusti, ut alea interim luderent. Constat essedum duabus rotis maximis: ob id minimum concutit: quaternæ enim cum majus spatiũ comprehendant, quia secundum longitudinem geminantur, fit ut currus pendeat,

repenteq; dissiliat. Geminæ autem parvæ, neq; vehere pondus possent, nec velociter, & incommodius. Lectica verò à mulis mollius fertur conclusa undiq; hyeme, vitreis fenestris & thymiamate fota, ut liceat sine noxa etiam voluptates capere.

Si super juga montium ac super glaciem ambulare cogimur, ubi non de casu solum, sed de præcipitio agitur, levis res cum industria nos tutos reddet. Calceis enim subligantur chalybeæ cuspides ferreis laminis junctæ ac continuæ, quæ quadrilaterem formam referunt, ut ubique jam ferè venales extant. Verum absque artificio tali sufficiet plerunque summis pedibus ambulare. Licet enim calceo vestiantur digiti, plurimum tamen juvant contorquendo se, ut corpus in contrariam partem ejus in quam labitur, inclinet: hærentq; magis solo, non tantum ob id quod cum plures sint, multorum instar pedum sint: sed magis quòd dũ corpus universum eis solis innititur, fit ut exigua pars majore pondere pressa, firmius adhæreat. Pars etiam pedis

reli-

reliqua cum libera maneat, auxilio est parti laboranti. Vt enim Aristoteles dicebat, quod movetur, semper in animalibus alicui stabili inniti solet. deniq; homo studiosius iter agit, plerique ob incuriam cadunt.

Aliud in simili genere contingit, ut per scalas ubi quandoq; fracti sunt lapidei gradus, & per montes eamus ubi multi periclitantur: cadunt facillimè ac frequenter descendendo, ascendendo homines minime. Equi pari fermè periculo in utroq; versantur. Huius primùm causam quærere oportet: cum homo descẽdit, nititur in inferius: si labatur, pondus corporis cum nixu jungitur: ideoq; homo maximo impetu, præceps agitur in inferna. At ascendendo, cum nixus sit ad superiora, etiam si labatur, corporis pondus à nixu & virib. continetur, atq; ideo non facile ruit. Equi tamen quoniam poplites non adeo flectere possunt, ascendendo longè magis fatigantur quàm descendendo: ideoq; lassi, & facilius labuntur, & lapsi majore cum impetu ruunt. Descendendo autem magis obni-

tuntur contra pondus, quod quatuor habeant crura, ideò facilius homine labuntur dum aſcendunt: rarius vero illo dum deſcendunt. Eſt etiam alia cauſa hujus homini peculiaris, ſcilicet timor, & imaginatio quæ interdum facit caſum: nam deſcendentes coguntur altitudinem videre, non aſcendentes. Adeo verò hoc quibusdam perdifficile eſt, ut præeligant quandoq; retrocedere, oculorum uſum poſthabentes, ut timore careant. Boves tutius equis per montes incedunt, quod pede ſint latiore, & ungula humiliore atq; diviſa, & lentius eant: ſic ut bos pedem (ut beatus etiam Hieronymus teſtatur) poſteriorem non prius elevet, quàm priorem fixerit. Sed ſi homines ſuis pedibus innitantur, decet illos dum deſcendunt ſumma uti diligentia, nixu ad ſuperiora, vel etiam auxilio, quod multi facere ſolent, retrahentes.

Si celeriter fuga eripere te velis, aut fugientem ſequi, his potiſsimum ſeptem præceptis res hæc optimè abſolvetur. Eligas primum equum levem laboribusq; aſſuetum & ſuper omnia mitem & tractabi-

ſtabilem. Deinde ſingulis pedibus, loco octo clavorum, quatuordecim affigantur, ne per montes quibus atteri ſolent clavi euntibus, aut per tenacius lutum, excidant ſoleæ. Ipſi verò curſores ſecum deferant carnes pavonum (quæ coctæ ſeu aſſatæ in veru, etiam per menſem ſervantur) aut cervorum modicè ſalitas ſiccatasq́; ac tritas, proprii uſus cauſa: panem quoq; aridum, ſeu nauticum, non ſolum ſibi, ſed equo utilem: machinam quoq; igneam, quæ rota ſoleat exonerari, multiplicemq́;, ut commodum uſusq́; poſtulaverit: cingulum quoq; coriaceum, quo præſertim Itali utuntur ad natandum, ſi contingat non vadoſum flumen tranſire. demum norit optimè iter.

Quod ſi caſus objiciat iter non cognitum, hac ratione tibi agendum erit: cum viæ ducem nactus non fueris, locum, ex quo diſcedis, pro centro ſtatue, & circulo deſcripto, aut mente concepto, conſtitue loci ad quem tendis ſitum, & meridiei lineam, quam ex ſolis ortu occaſuq́; venaberis. Etenim intercedẽte errore quatuor aut quinq; partium, nihil penè ob-

erit. Quod si pro his omnibus tabellam regionis depictam habeas, non parum proderit. Ergo ubi iter die agas oculo locum solis observa, & diei horam mente aut horologio conjice, iterq; illius ratione habita, ad locū diriges: memor quod meridiem respicienti, ortus est à læva, occasus à dextra: orientem verò, meridies a dextra, septentrio à sinistra: atq; ita de aliis contrario ordine. Nocte lunam aut stellam cognitam aut polum ducem habebis. Hæc ratio, ut pleraque alia, usu & consuetudine facilis redditur, ac prompta. Horologium verò ob pixidem, etiam præter horarum cognitionem, commodum non leve adfert. Sed si de via declinare cogaris, per æquidistantem procedes: neq; enim plus admittes erroris, quàm sponte ab initio feceris: quoniam eundem servabis angulum. Quòd si angulum mutare cogaris, dum in viam redeundum erit, duplicato angulo in adversam partem, æqualiq; itinere absoluto, in rectam viam redibis. Demonstrationem & figuram hujus rei (si non satis capis) videre potes apud

Cardanum de rerum varietate, lib. 13. cap. 63.

Altera cautio est, ut in ignotis itineribus viam tritiorem ſequaris: præter enim quod ſecurior ſit, facilius hoſpiti ac viatori occurres, à quorum altero ſciſcitari de itinere poteris, maximè ſi linguæ non ignarus ſis: ab altero juvari potes, periculumq́ effugere.

Tertia cautio est, ut animadvertas, ſi via in fluminis ripa ſit, aut montis radice: tutius eſt flumen, aut montem ſequi: tritior enim hoc ipſo eſt, quæ ſecum flumen ducit comitem aut montis radicem: urbes enim, pagi, atq; hoſpitia ſolent juxta hæc ædificari, ut etiam apud Rhenum in Germania. Sunt qui etiam equorum veſtigia obſervent, quod non improbo: in tam facili enim periclitandi via, quæcunq; animadverſio utilis eſſe poteſt. Et cum mortalium caſus ac vita minimis ſemper à rebus pendeant, in itinere hoc adeò manifeſtum, ut nihil magis: nam ubi parum a via deflexeris, aut ſub divo pernoctandum, aut in latrones fortaſſe incidendum.

Ubi

Vbi clavi defectu ferrum ab equi pede exciderit, claudicat equus, iter pedibus agendum: aut igitur molliter eundum, deserendiq; comites, per noctemq; incognitaq; loca solus ibis, aut citato itinere contrahenda laßitudo, æstusq; ac febris exinde, unde nonnunquam etiam mors sequitur. Si dissutæ sint ocreæ, admittitur aqua: inde in hospitio commorandum: pecuniæ absumuntur: ut non sit numerus incommodorum quæ iter agentes sequuntur, si non omnino aut diligentißimi, aut potentißimi fuerint.

Vbi lapidosa & lutosa sit via, nihil melius si pedes ambulandum sit, ligneis calceis: quorum usus est in Gallia: non enim facile humectantur, & humidi facile siccantur. Sed quia pedes duritie lædunt, nec facile accommodantur, stupa implentur. At si per saxa eundum sit, Turcarum more soleæ ferreæ tenues supponantur: quod etiam militibus salutare consilium est ad vitandum ferreos tribulos, qui ab hostibus nonnunquã spargi solent, ut capite quarto libri secundi dicemus. At si per siccum breve sit iter,

crepi-

crepidæ utiles erunt, quoniam pedes excalfaciunt. Ob id in domo manentes his utimur, qnoniam pedes ſiccos reddant & calefaciant. Ocreæ, cothurni, ac ſocci, equitantibus conveniunt, pedes iter agentibus haud utiles: nam ſeu rima aquam admiſerint, ſeu (ut ſolet) celeri ac diuturna ambulatione maduerint pedes, non niſi detractis licet illos ſiccare: præterea detracti refrigerato crure noxam afferunt, nec tam facile ut volumus detrahuntur.

Ad hæc, non ſunt itinera illa tuta ab incurſionibus vel latronum vel beſtiarum, quibus per ſolitudines eundum eſt, vel aliàs loca non admodum habitata. Quare conſueverunt talium regionum populi catervatim proficiſci, ſi quo longius eundum eſt, quo conjuncti tueri ſe contra latronum vel ferarum incurſus queant. Qui enim ſoli ſunt, multis ſunt periculis expoſiti. Eſt igitur inditum nobis à Deo, quem tentare non debemus, ut homines hominum ſocietatem amemus. Vnde ille dixit, hominem eſſe animal civile, ac ſocietatis ſtudioſum. Hinc eſt quod conjunctim pagos, villas, ac

civitates inhabitamus, & legibus utimur, quibus societas ista indivulsa & cum honestate conservari poßit. Hactenus non est illicitum (ut inquit Musculus in Genesin cap. 42.) sanctis hominibus cum illis vel habitando, vel proficiscendo conjungi, qui diversæ sunt religionis & fidei, si fieri nequit ut cum pietatis consortibus conjungantur, modo pietati suæ nihil hac conjunctione incommodent. Nec satis est homini justo sic pro sua neceßitate conjungi hominibus, ut rebus suis de securitate prospiciat: sed & illud requiri à se novit, ut quod expectat à sociis pro societatis ratione, idem illis præstet & ipse. Qui enim defendi vult contra vim malorum, & ope conjunctorum hominum uti, iniquus sit oportet, si vicißim ad defendendum illos, atq; ita ad serviendum communi securitati pro viribus paratus esse detrectaverit. Quare inhumanum, iniquum, & à jure consortii humani prorsus alienum est, quod Anabaptistæ vel Antibaptistæ, phanaticum hominum genus, legibus humanæ societatis, quod ad defendendam publicam tranquillitatem attinet,

sub-

ſubeſſe nolunt : nec arma ulla ratione in itinere ferre volunt, tam ſcilicet ſpirituales ſunt, ut corpus eorum lædi non poßit vel a canibus & lupis aut viarum obſeſſoribus & ſicariis. Non pauci alii ex parte adeò ſuperſtitioſi ſunt, & puræ Chriſtianæ religionis ignari, ut iter aggreſſuri aut equum conſcenſuri tutos ſe putent, cum ſemel aut ter cruce ſe ſignarint : aut mortuo vel picto (proh nefas) Sancto, orationem Dominicam recitarint : non dißimiles ethnicis, de quibus inter alios, Arnobius libro adverſus gentes quarto, ubi de fictitiis & putatitiis diis agit, inquit : Ab erroribus viarum dea Vibilia liberat. Hodie idem aſſcribitur Magis, quos reges vocant. Cætera ſimilia, ac ſatis nota, ſcribere omitto : Tu crimine ab uno, diſce omnes.

Operæ precium me facturum non dubito, ſi viatores ſecretum hactenus modum doceam, quo poßint aurum vel argentum tuto ſecum ferre ne agnoſcatur : quem modum à bene docto & experto authore hauſi, qui ante ducentos annos ſcripſit, quemque nos propediem in lucem, multorum utilitate dabimus.

Is igitur ſic inquit: Docebo te naturaliter & ſine peccato incantare aurum & argentũ, ita ut ſi teneatur, minimè cognoſcatur: & valet ingenium iſtud incantationis naturaliter ad aurũ & argentum per totum mundum ſine timore dominorum et tyrannorum portandum, & ad ſervandum in toto tempore bellorum et tribulationum, & maxime tempore Antichriſti. Creavit ſublimis Deus aurum ſic incorruptibile, ut vi cujuscunq; ignis non perdat ſuum eſſe, nec colorem, nec virtutem: & tamen eſt una res quæ ſtatim convertit ipſum in terrã. Et magiſterium hujus ſecreti eſt tale: Aurum bene lima, & accipe crucibulum cum bona quantitate argenti vivi, & pone ipſum ad parvum ignem ſic ut non vaporet, & pone intus limaturam auri, quam moveas miſcendo cum argento vivo, & poſt modicum tempus totum aurum invenies infra argentum vivum converſum in farinã ſeu terram: poſtea ad bonum ignem pone, ut argentum vivum recedat: vel deſtilla eum, & collige, ponendo deſuper alembicum: et in crucibulo aurum invenies calcinatum,

tum,

tum, & in terram redactum. Vel si non potes limare, fac tenuissimas laminas quàm subtilius valebis, & pone eas infra argentum vivum calidum, & habebis optatum. Et si vis hoc idem facere de argento, lima ipsum, & misce super lapidem cum argento vivo & argento vivo sublimato, & bona quantitate vitrioli Romani, & claude cum luto sapientiæ inter duas testas benè junctas, & pone inter carbones quasi per unum diem vel medium vel minus, & ipsum invenies reductum in calcem. Has calces porta per mundum publicè, & neminem invenies (nisi hoc nunc forte detecto) qui argentum & aurum cognoscat. Et si vis calces occultare omnino, misce eas cum pice liquida, vel cera, vel gummi aliquo, vel cum omni re combustibili, & non cognoscetur ab homine hujus mundi: sed erunt homines videntes naturaliter, ut incantati. Et si vis hanc incantationem omnino solvere, pone calcem auri in cineritio, (ut aurifabri & chimistæ norunt,) & verum aurum ut prius invenies. Idem fac de argento.

DE REGIMINE ITER AGENTIVM, VEL EQVITVM, VEL PEDItum, vel navi, vel curru seu rheda &c.

LIBER II.

Per mare vel alias aquas iter acturi ut sese præparent. Ex Paulo Aegineta, Victus navigantium.

CAPVT I.

VOmitibus qui primum navigantibus contingunt, neq; facile, neq; utile est, resistere: plerunque enim omnibus prodesse solent. Oportet autem post vomitũ non multa, neq; vulgaria edulia exhibere: sed aut lente uti sicca & cocta, modicum pulegii habente, aut pane macerato in vino aquoso & odorato. Potu verò utendum est modico, eoq; aut villo penitus aquoso, aut aceto mulso. At lentem coquere oportet, & ubi mollis facta fuerit, probè terere, deinde siccare, atque sic in vase fictili componere. Si verò

ad

ad longius tempus vomitus fiant plurès vehementiore cibi subtractione utendum est, & ipso potu modico, aut aceto mulso cum aqua, thymo in ipso macerato, aut pulegio aut aqua cum polentæ polline: aut villo odorato aquoso similiter cum polline polentæ. Cæterùm ad molestos in navibus odores, aut mala cotonea olfacere oportet, aut thymum aut pulegium. Sed & quamminimùm in mare aspicere oportet, donec ad consuetudinem perveniat quis conversationis in mari. Ad aquas item respiciendum est, ut neq; turbatæ, neq; graveolentes, neq; salsæ sint. hæc ille cum Oribasio.

Qui mare intraturus est, per aliquot dies ante, cibum minuat, ac minus solito edat, utaturq; cibis stomachum roborantibus. Secum ferat cotonea poma, cappares, mala punica, & alia contra vomitum facientia, ut bonum diacotoneon, coriandra præparata &c. Et primæ die qua quis intraverit, ne aquam aspiciat, neque caput elevatum teneat, nec comedat aut bibat, nisi parum quid. Possunt viatores (nisi chirurgum vel medi-

cum ut moris eſt ſecum habeant, qui ſecum remedia conſueta & magis neceſſaria ferant) ad magis ſolitos evenire ſibi ipſis vel in mari morbos præter jam dictos, remedia parabilia, medici fidi conſilio, ſecum ferre. Sed ſobrietas, & lætus animus à multis malis tuebuntur. Solent medici vel chirurgi mare aſcendentes ſtipendio conducti, ſuam capſam variis parare opportunis remediis, de quibus alii, ut Ioannes de Vigo, ſatis ſcripſerunt: ego brevis eſſe laboro, ſine obſcuritate.

Si iter ſit per ignota maria, plurimũ confert, ut dux viæ una navis præmittatur: nam ſi periclitatur, ſervantur aliæ: ſi ſervatur, aliæ non periclitantur: qui mos eſt equitibus flumina transeuntibus. Sed de navigandi arte, & navibus conſtruendis &c. vide Cardanum fuſe & caute ſcribentem libro de rerum varietate undecimo, cap. 54.

In Borealibus regionibus quoniam maria congelantur, itinera dirigunt fixis inter nives & glacies palis juniperi. Hoſpitia quoq; erigunt tribus aut quatuor

tuor palmis à glacie elata, ut ab æſtuariis non diſſolvatur glacies, aut à clibanis. Nam adeò dureſcit glacies, ut duorum digitorum craßitudine hominem ſuſtineat: trium autem, equitem armatum: palmi & dimidii, turmas: quatuor palmorum, integrum exercitum.

De nauſea & vomitu ſimilibusq́; ſymptomatis in aquis contingentibus.

CAPVT II.

ET ſi in præcedenti capite nonnihil ex Pauli ſententia de vomitu dictum ſit, hic tamen propriè de hoc erit ſermo. Ne igitur in mari vel aliis aquis nauſeam patiaris, abſcintium & pulegium tere cum vino & aceto, & nares interius frequenter frica, aut ſaltem odora. Apii torrefactum ſemen bibitum, prohibet nauſeam ne fiat, & factam ſedat. Abſcintium itidem modis omnibus facit. Styptica etiã, quæ os ventriculi confortant, & vapores ad cerebrum aſcendere prohibent, ut cotonea vel ex his condita, granata, mala maciana, & ſimilia, nau-

ſeam prohibent. Item lentes cum aceto comeſtæ, & in cibis aut embammatis acreſtam ponere, & parum mentæ vel calamenti, vel in eorum carentia, macropiperis. Vel comedere (præſertim aſſuetis) panem fractum in vino malvatico, aut aliquo alio auſtero & odorato vino. Si à vomitu abſtinere non poßit, vomere non eſt malum: tamen effrenem vomitum et ſuperfluum ſedare oportet, vel cotoneis vel aliis ut ſupra dictum eſt. Dictum eſt de apii ſemine, quod præcipuè nauſeam ſedat ſi torrefactum ſit, & aceto infuſum. Etiam abſcintium bibitum & cataplaſmatum ſedat. Similiter micæ panis vel fruſtula aſſata & lota in aqua frigida & cum vino comeſta valent. Vel ſimiliter panis aſſatus, & cum vino odorato vel aromatico eſus.

Sapor pro navigantibus: Recipe amigdalas, rutam, allium, & nuces, tere & diſſolve cum aceto forti.

Sapor pro iisdem, ad carnes & piſces, elixum & aſſatum: Recipe amigdalas mundatas, parum allii mundi, nucem moſchatam, caryophillos ſex: tere ſimul,

&

& dissolve cum aceto & sapa : & da.

Nausea non poterit quenquam vexare marina,
Antea cum vino mistam si sumserit illam.

In his versibus remedium ponitur contra nauseam sive vomitū non assuetis transfretantibus accidentem : dicitq́; transfretaturum ante navis ingressum debere aliquot diebus aquam marinam vino suo miscere. Pauper verò solam marinā bibet, ut nauseam evitet. Hujus remedii causa est, quia aqua marina salsedine sua & stipticitate claudit orificium ventriculi seu stomachum, & per hoc vomitus impeditur. Est autem notandum, viatorem in mari non multum conari debere ut à principio vomitum compescat, sed continuari permittatur donec vomens fuerit bene purgatus. Hoc enim à multis ægritudinibus præservat, imò etiam curat aut alleviat, ut lepram, hydropen, apoplexian, & stomachi frigiditatem cum humiditate, & ejus inflationem, ut vult Avicenna tertia primi docu. sec. cap. 1.

Si tamen vomitus ita esset superfluus

ut

ut debilitaret, restringendus esset, ut antea dictum est, ut malis granatis acetosis & aliis jam dictis, quibus stomachi orificium confortatum, humores inferius depellit, & stomachus humores ex maris agitatione ad se effluentes, repellit. Et præter jam dicta, universaliter valet nutritio viatoris in mari ex cibis acetosis, os stomachi confortantibus, & vapores ac fumos ad caput ascendere prohibentibus, ut sunt lentes in aceto coctæ, vel cum omphacio. In fine prandii vel cœnæ semper stomachum sigillet cum frustulo cotonii, vel diacotoneo, quod facile vel cum saccharo pro ditioribus, vel cum melle pro aliis paratur etc. vel cum coriandris in aceto rosato præparatis, & saccharo confectis.

Fœtor etiam ex mari, vel ex navis sentina lædere solet, & spiritus animales ac cerebrum inficere ac corrumpere: pro posse fugiendus est: & æstate rosas rubeas vel earum folia in umbra siccata odorare, ut santalum citrinum, caphuram, cotonea, aurantia poma, poma communia odorata, vel pyra, & similia. Vel fiant

ant à pharmacopœis poma ambræ vocata, vel similia ex jam dictis & aliis rebus odoriferis, ut pro æstate: Recipe karabæ albæ, ladani puri ana drach. duas, rosarum rubearum, styracis kalamitæ, resinæ pini, florum nenupharis citrini ana drach. 1. ambræ grana tria, camphoræ grana quatuor: redigantur redigenda in pulverem, & in mortario calido & pistillo addita rosacea quantum sufficit, fiat pomum, quod ligetur in sindone rara. Hyeme conveniunt magis, Angelicæ radix vel etiam folia, cariophylli, amaracus, rosmarinus, cortex citri aut aurantiorum: vel similiter, fiat pomum ex ladano, styrace, caryophillis, nuce moschata, ligno aloë, vel ex supradictis aliquo alio, & mosco in aqua rosacea vel nanpha vocata dissoluto, & cera alba, in mortario calido secundum artem fiat pomum, studiosis & capitibus debilioribus præsertim, profuturum valde.

Si febris aliqua oriatur, vel medicus in navi aderit, vel aliquis alius, qui diætam saltem ordinabit: nam multi nunc agunt medicos utcunq;. Et nos supra satis

tis ad hoc scripsimus in capite decimo. Si purgatione quis indigeat, (& si vomitus fere satis sit) supra inveniet capite primo, libri primi.

Potus in mari ut habeatur, inveniatur, serveturq́; , & similia.

CAPUT III.

DE mari & aquis tractatum veteris alicujus philosophi jam pridem à me paratum editioni, simul cum libro antiquo, seu longo dialogo de substantiis physicè, habebunt studiosi cum Deus dederit typographum cui prælum vacet: vel qui vetera & utilia, non edita, cudere potius velit, quàm toties (paucis additis vel mutatis) edita, veluti crambem repetitam, recudere. Ex eo tractatu nihil huc adferam, sed alia quædam, observatione fideli reperta, quæ ad rem faciant. Maris aquam graviorem esse aqua fluminis, non obscurum erit ponderanti parem earum mensuram: hinc etiam fit ut cum craßior sit, majora sustineat onera, non solum quia copiosior. Ob id verò est salsum mare (ait Cardanus)

nus) quod aßiduus imbrium in ipſum casus jam ab æterno perſeveret.

Tria enim ad ſalſuginem ſervandam ſufficere videntur: nempe, ſolis calor, quo terra uritur, putreſcuntq́ aquæ: quod non decurrat ut flumina, imbresq́ excipiat. Omnis enim imbrifera aqua, quod ſole torreatur & mora putreſcat, ſubſalſa eſt. Adjuvat tamen ad maris ſalſuginem illius immenſa vaſtitas: in qua velut & in amplo terræ ſpacio ſalis montes non paucos contineri neceſſe eſt. Dulces verò aquæ ſalſis continuantur. Natura æſtum invenit, ne aquæ immotæ putreſcerent. Non ſolum verò à luna movetur mare, ſed ab aliis etiam cauſis, de quibus hic dicendum non eſt. Obſervatores enim dicunt, mare Perſicum ſole virginem ingrediente, agitari. præcipuè cum ad ſagittarium pervenerit. Placidum verò eſſe ac tranquillè quieſcere, quum piſces ac geminos occupaverit. Contra Indicum, ſub virgine & ſagittario tranquillum: ſub piſcibus & geminis innavigabile eſſe. Sed & de his in libro noſtro de temporum mutatione

tione perpetua &c. plura ſcripſimus. Iam de potu promiſſo dicamus.

Aqua marina, ſeu aliàs ſalſa, ventrem mollit: ſæpe tamen bibita, conſtipat, deſiccat, hydropicos & frigidos aut pituitoſos juvat. Cotonea injecta auferunt nocumentum aquæ ſalſæ. Vel injiciantur ſorbæ, aut myrti ſemen. Sed cum in mari magna ſæpe oriatur difficultas circa potabilem aquam, non ab re eſt ulterius aliquid docere. Aqua ſalſa (alterius in defectu) bibatur cum aceto vel ſyrupo acetoſo, in quam myrti grana ſunt antea projicienda, & vix quenquã lædet. Sed ut magis potabilis fiat, formetur vas cereum, & os ejus ita obfirmetur, aut circumligetur ut mare non intret per rimam aliquam: quod verò ingredietur per cereos parietes, id eſt, per latera vaſis, fit potabilis aqua: nam quot terreſtre ac craſſum eſt ſecernitur veluti per linguam ceræ: ſalſedo enim cauſatur per admixtionẽ ſicci terrei aduſti cum humido aqueo. Sed quia multi (in quorũ numero ſum et ego) non ſunt contenti aqua, dicam quomodo cognoſcamus

scamus num vinum dum per naves deportatur verti debeat, aut corrumpi: parvum igitur vas seu barile, ut vocant Itali, eo vino repleatur, & undiq; bene obstruatur, & in mare mersum dimittatur per noctem: nam quocunq; modo permutatur hoc, permutabitur & ei simile reliquum: & e contra. Si verò jam corruptionis indicium demonstretur, sic prævenire poterimus: Si ergo in vase multum contineatur vini, vigesima vini pars extrahatur, vel prout magis aut minus corruptioni vicinum est, & in eodem vase eius extracti vini loco medietas aquæ recentis (medietatem dico extracti vini) imponatur, & sic per triduum dimittatur, deinde in aliud purum vas transferatur, ac sic ad propriam seu pristinam naturam reverti consuevit.

Si destillentur aquæ salsæ aut corruptæ, emendantur prorsus: et ita Avicennæ decoctio intelligenda est. vel saltem per filtrum.

Vinum verò per mare transvectum ut diu duret, amurcam per linteolum ex colatam, & ad dimidias coctam, cum melle attico vel alio optimo, in dolii fun-

dum infundito antequam vinum infundatur. Hoc enim modo ad plurimũ tempus perdurat. Imo ſi marinam aquam in vinum conjicias, ſtabile ſervabis, teſte Myrepſo. Aliqui in aquam projiciunt aliquam terram non mali loci, nec fœtidam, & ita ſinunt clareſcere, & bis vel ter per pannum colant: aut cum aromate aliquo bulliunt: vel ut ſupra dictum eſt, aceto vel vino modicis miſcent.

Caſtrametandi & terreſtris exercitus deducendi breve regimen & ars medica.

CAPVT IIII.

SI exercitus ſtatio longa futura eſt, vitanda ſunt (imo ſemper ſi fieri poteſt) paludoſa loca in caſtrametando: & exercitus Imperator ſeu Rex, quocunq; in loco caſtra ponantur, tentoriũ ſibi erigi curabit illa in parte ubi venti boreas vel zephirus ſeu favonius, vulgò garbinus, vel potius ubi eurus flant. Et ſingulo veſperi aliquo ad ſuffumigium parato pomulo vel orbiculo aut trociſcho ex ambra vel ſtyrace & ſimilibus ſiccis, madefactoq; in vino, ponatur ſupra par-

vas prunas in ſui tentorii medio, vel ubi jacebit. Interdiu amuleta aliqua, vel probatas gemmas ad collum pendat usque ad pectus. Cum verò ex loco ad locum exercitus transferri debet, ſemper ad unius Italici miliaris diſtantiam aut duorum præcedant pedites aliquot ſtrenui & craßis calceorum ſoleis, aut ferreis calceati, qui tam in via quàm circa viam qua eundum eſt, diſpicient, an ab inimicis jacti vel ſeminati fuerint ferrei tribuli, aut clavi, quos colligent. In fontibus item ſcrutabuntur num ſit ibi aliquid noviter infixũ ut palus vel aliud, & an ſint illic herbæ non radicatæ, ſed mortuæ & projectæ, & nunquid innatet inſoliti: hæc prius extrahent quàm de aqua bibant. In ciſternis aut puteis fiat ſcrutinium dictũ in fontibus: & inſpiciatur ſi maſſa picea, vel unctuoſa in fundo jaceat, ut extrahatur, et aqua exhauriatur, ne incautos ſequentes fallat. Si verò dictum ſcrutiniũ usq; ad fundum fieri non poßit, aut non vacet, tunc ſubtilißimus & candidißimus lineus pannus bene in aqua illa madefiat, & absq; extorſione vel expreßione aquæ explicabi-

tur, & cum corda ligatus pendeat ad solem vel ad aërem: & cum videbitur exiccatus, complicetur: quod si maculæ cujuscunq; sint coloris appareant, certũ est aquam esse malam, & pestiferam: si verò nullæ appareant maculæ, salubris erit. Atq; ut exercitus ab epidemico aëre præservetur, ubiq; extra suarum stationum limites per modum fossæ vel foveæ fiant cavitates, in quibus cadavera & animalium superfluitates & fœtentia omnia projiciantur: cumq́; semiplenæ fuerint, terra superinducta tegantur. Ptisana in usum febricitantium, et sitientiũ paretur hunc in modum: Una hordei paropsis vel scutella, ponatur in tanta aqua ut hordeum cooperiatur, in munda olla vitreata vel in lebete stanneato, & sic bulliat uno fervore ad lentum ignem: postea colabitur, & simili modo iterum bullietur et colabitur. Deinde tertia vice ponatur in decem scutellis aquæ cum duobus manip. graminis effoliati & loti, & tunc totum bulliatur ad lentum ignem & clarum, usq; ad consumtionem fere medietatis: postea ab igne deponatur, & usui reservetur,

sive

ſive colatum, ſive non colatum. Cunctis febricitantibus, cujuscunq; fuerint ætatis vel complexionis, dabitur pulvis factus ex herbula dicta pane cuculi vel acetoſella, ita ut unum cochlear ejus admiſceatur ptiſanæ ſupraſcriptæ, & ſic bibetur in æſtate frigidum, in hyeme calidum: & prædicta ptiſana ſemper utantur in potu cum vinum non bibunt.

Omnes vulnerati utentur pulvere poligoni herbæ duplici modo: ſumendo videlicet in jejuno cochlear unum cum vino: vel ſi pauper fuerit aut acriter febricitans, cum prædicta aqua: & item vulnere mundificato ſuperaſpergatur exterius. Si verò ſagitta vel aliter quis toxicatus fuerit, ſumat jejunus cochlear unum ex pulvere ſubſcripto cum vino aromatico, vel ptiſana hordeacea ſupradicta: Recipe ſeminum citri à cortice mundatorum partem unam, ſcolopendriæ partes tres, fiat pulvis. Talibus etiam caules cum oleo cocti dantur in cibo, & folium vulneri ſuperponitur, vel pulvis aut folium integrũ quercinum. Qui foliorũ puluis in multos et mirabiles uſus ex teneriorib. ſuo tempore foliis in um-

bra ſiccatis parari in multa copia debet, & in ſacculis coriaceis mundis ligari. Sed ulterior proviſio relinquitur exercitus medico perito, quo nullus, etiam pauper, exercitus, carere debet: niſi chariorē pecuniā quàm ſanitatem ſtultè habeat.

Egregiè cautum eſſe ducem exercitus oportet, ſubdolumq́ erga ſuos hoſtes. Nā & aggredi in tempore, & inſidiando latere, & occaſionem præbitam arripere, & aut vi, aut improviſo aſtu, quæ hoſtium ſunt occupare, occupataq́ tueri, bonorum Imperatorum ſunt opera. Sed de arte bellica & ſtratagematis plura veteres & recentiores ſcripſere & edidere. Itaq́ finem facio, ne mihi dicatur ſutor ultra crepidam.

Variorum itinerum, præſertim terreſtrium, deſcriptio: & miliariorum declaratio.

CAPVT V.

Huc pertinet Tabella menſurarum.

QVia itinera per miliaria diſtinguuntur, ea verò juxta regiones variantur, operæprecium me facturum puto, ſi ob oculos clarè ac diſtinctè per tabellam rem menſurariam distribuā, ut ex hac ſequenti videre licet. ☞

MENSV-

Mille athomi faciunt unum digitum ad radicem unguis.	Miliaria Germanica communia.	Leucas seu miliaria Gallica.	Miliaria Italica.	Stadia.	Perticas.	Passus.	Cubitos.	Pedes.	Palmos.	Digitos.	Grana hordei.
Digitus											4
Palmus										4	16
Pes	FA	CI	T						4	16	64
Cubitus								$1\frac{1}{2}$	6	24	96
Passus							$3\frac{1}{3}$	5	20	80	320
Pertica						2	$6\frac{2}{3}$	10	40	160	640
Stadium					$62\frac{1}{2}$	125	$416\frac{3}{3}$	625	2500	10000	40000
Miliare Italicum				8	500	1000	$3333\frac{1}{2}$	5000	20000	80000	320000
Leuca seu Gallicum miliare			$1\frac{1}{2}$	12	750	1500	$5000\frac{1}{4}$	7500	30000	120000	480000
Miliare Germanicum commune		$2\frac{4}{15}$	4	32	2000	4000	13334	20000	80000	320000	1280000
Miliare Germa. magnum vel Suevicum	$1\frac{1}{4}$	$3\frac{2}{3}$	5	40	2500	5000	$16667\frac{1}{2}$	25000	100000	400000	1600000

Terra

Terræ longitudo eſt ab occidente in orientem, latitudo a ſeptentrione ad auſtrum. Terræ circuitum ferunt eſſe ſtadiorum 252000. vel quod idem eſt, miliariorum Italicorum 31500.

Alia opinio Alphagranii eſt differentia octava, ut ſit 20428. inter quas duas opiniones differentia eſt 11100. miliariorum.

Terræ diametrus eſt 6500. miliariorum. Secundum alios Mathematicos terræ longitudo eſt ſtadiorum 400000.

Ad cognoſcendam diametrum per circumferentiam multiplica numerum circumferentiæ per 7. & divide per 22. & naſcetur diametri numerus. Ad cognoſcendam autem circumferentiam per diametrum multiplica numerum diametri per 22. & productum divide per 7. & circumferentia ſeu ambitus proveniet.

Apparet (inquit alicubi Cardanus) ex his quæ noſtris diebus innotuerunt, non terram oceano circumdari, ſed oceanum eſſe tanquã lacum quendam inter terras conſtitutum: altera enim habitabi-

bitabilis nostra est, alia Nortica, Brasilia à meridie, & America à septentrione. In ipso autem oceano undiq; Insulæ numero incredibili, sed vigesies millesimum excedere constat. Itaq; mare lacus est terræ totius, non autem terra insula maris. de terra verò quo in loco posita sit, an sit mobilis, & cujus sit figuræ &c. vide cum alios, tum Aristot. 2. de cælo, capite 13.

Itinera igitur diversa descripturus, quæ partim ipse confeci, partim ab aliis facta & scripta venêre ad manus meas, omittam scribere quæ jam typis cusa sunt, tum quia facile haberi possunt, tum ne liber major fiat quã iter agenti conveniat. Habetur Antonii Imperatoris itinerariũ, licet hactenus non viderim. Est aliud iter Caroli V. Imperatoris Augustam ex inferiori Germania ab anno 1545. usq; ad comitia apud Augustam Rheticam indicta anni 1547. quo usq; singulis diebus & ad quot miliaria perrexerit: ab Mamerano Lucenburgo annotatum & emendatum, excusum Augustæ à Philippo Vlhardo, anno 1548 folia 3. in octavo. Haben-

Habẽtur itinera pauca carmine ſcripta à Georgio Fabricio Chemnicenſi, impreſſa Baſileæ ab Oporino, 1551. una cum Roma ejusdem. Itinerum nomina ſunt hæc: Iter Romanum primum, Iter Neapolitanum, Iter Romanum ſecundum, Iter Patavinum, Iter Chemnicenſe, Iter Argentoratenſe. Item, locorum veteres & recentes appellationes, liber in octavo, craßitudinis digiti. Non dubito alios etiam reperiri qui itinera ſcripſerint, quos neſcio. Iter ad S. Iacobum vidi carmine Germanico impreſſum cum his quæ in eo itinere accidunt, vel animadvertenda ſunt: libellus eſt trium foliorum, qui mihi ob nugas & ſuperſtitiones immixtas non placuit, ideo omiſi.

In deſcribendis itineribus his, non ero ſollicitus, nec curabo ponere latina locorum nomina, ſed ea quorum uſus eſt hodie, & lingua iismet locis propria, ut viator intelligatur, dum iter petit eundo.

Iter Patavio Romam per miliaria Italica.

Ex Patavio igitur, ſeu da Padova ad

Anguilara miliaria 18. Inde a Rovigo mil. 7. Inde a Arqua de Salto 6. Inde a la Casa Salvatica 3. Inde a Oracan 3. a Francolin 5. a Ferrara 5. a la Torre de Loselin 5. a S. Georgio 12. a Bologna 12. a Pianoro 8. Lograno 6. Scaricalasino 5. al Caurez 3. Fiorenzuola 12. Scarparia 10. al Ponte San Piero 2. Fiorenza 2. San Casan 8. Lolmo 4. Barbirino 6. Puodibonzo 6. Siena 8. San Michele da la Scala 6. Saravale 6. Buonconvento 4. Scancicricho 7. Recorso 10. a la Paglia 4. a Aquapendente 12. a San Lorenzo 6. Bolsena 4. a Montefiascon 7. Viterbi 7. a Lago de Vigo 7. Romcignon 1. Sutri 3. a Monte rosso 4. Bachano 5. Lisola 6. Borgeto 1. a Roma 6.

Ex Roma Neapolim iter.

Marino miliaria 12. Belitri mil. 8. a Sermoneta vel Sulmoneta 15. Aquapuza 1. Segio 5. a la Casa nuova 2. Marute 8. Teracina 6. Fondi 6. Vtri 5. Nolla (vel Molla) 5. Garignano 8. Sesso 7. Caschano 4. a la Torre de Francolisse 7. Capua 8. Versa 8. a Neapoli 8.

Ex

Ex Neopoli Aquilam iter.

Versa miliaria 8. Capua 8. Calvi 6. al Siesto 20. Benafri 6. Fernoli 10. Lagoscuro 10. Castelti Sangue 5. Rocha di Rassa 4. al Pian de cinq, millia, 3. Rocha di Valscura 6. Petorano 2. Sermona 4. Populi 6. Navelli 10. Puogio 16. la Aquila 4.

Ex Aquila civitate Apuliæ Perusium & Anchonam iter.

Da l'Aquila Verso Asisi a San Silvestro miliaria 6. Inderdoe 8. Castel di S. Angelo 4. Civita ducato 6. Ariete 6. a pie di Lupo 12. Arone 4. Montefrancho 2. Vuallescura 4. Spoleti 6. Trevi 8. Foligno 5. Spelli 2. Asise 6. a S. Maria da gli Angioli 2. Perosa 8.

Da Perosa a Loreto.

Santa Maria da gli Angioli 8. Asisi 2. Spelli 6. Foligno 2. Colfiori 10. Seravalle 4. Varano 5. Valdi Magio 3. Belfiore 5. Tolentino 3. a la Raza 3. Macerata 10. Rechanati 7. Loreto 3. in Anchona 15.

Ex Anchona Ravennam, Ferrariam, Patavium.

Fimesino miliaria 10. Sinigaglia 15. Fano totidem. Pesaro 5. a la Catholica 10. Rimeno 15. al Cesnadego totid. Cervia 5. al Savio 5. Ravena 10. Bagnacavallo 12. Lugo 5. Fossa de Ziliolo 12. Arzenta 3. Consandoli 3. Benuegnadi 4. Ferrara 16. Francolin 5. Horacan 5. la Casa Salvatica 3. Arqua de salto 2. Rovigo 6. Anguilara 7. Conselve 8. Padoa milia. 10.

Ex Basilea Romam iter: miliaria Germanica.

Krentzach ein dorf. Vuilen ein kleine mil. Vuarmbach dorf. Rinfelden stat 1. Möli dorf. Mumpf dorf 1. Stein dorf. Seckingen statt. Lauffenberg statt, anderthalb mil. Lütlingen ein dorf. Houuenstein kleins stettlein. Tougerē dorf, Vualdshuot stat 1. Burtuuil dorf. Tirngen kleins stettlein. Neukilch stettlein, anderthalb mil. Schaffhusen statt 1. mil. Diessenhofen stettlein. Stein stettlein 2. Steckboren stettlein. Ermetingen dorf.

Costantz

Costantz stat 2. groß mil. Arb stettlein 3. Roschach ein marckt, ein halb mil. Rineck stettlein 1. Daselbst muß man über faren. Von Rineck uf das stetlein Veltkirch zu, 3. mil. Pluditz statt 2. Zum Klösterlin da ist ein dorf 2. Arlenberg ein halb mil. Landeck ein marck 3. Finster müntz. Federspil uf der Marsel. Heide ein herberg dritthalb mil. Malß oder Zum 7. Kilchen dorf 1. mil. Vueron ein statt, 6. Calteren dorf 4. Traunim dorf. Zum keller. S. Loran dorf, daselbst geht man über die brucken. S. Michaël dorf. Trient ein statt 5. Rufereyt statt, 3. Lombardy geht an Berner clus, 5. Vuille francken dorf. Mantua statt 6. S. Benedict ein reich kloster 2. Concordia ein kleins stettlein. Castella minor, sive Castellum S. Iohannis stettlein. Bononia ein statt 10. Florensola statt. Scarperia statt. Florentia statt 13. S. Cassan ein statt. Senis statt achthalb mil. Bon convent ein kleins stettlein. S. Clerico stettlein. Aqua pendent statt. S. Lorentz stettlein. Bolsena stetlein, Monte flascon stettlein. Viterbo

ein statt. Ronsilion stettlein. Monte roß stetlein. Roma 25. Summa est, miliaria Italica seu Lombardica 660. Alemanica 132.

Ex Roma Venetias iter.

A Roma ad primam portam. Inde ad Nervam. Spoletum. Foligno. Nocera. Sysillo. Cambiano. Aqua Angelo Sant Ambron. ad Affan. Beseren ubi inveniuntur naves Venetias usq;.

Alia via.

Ex Roma ad Mariam de Loreto, inde Anchonam, inde Venetias usq; navigatur, inde Tridentum &c.

Ex Antuerpia Basileam per Treverim : parva Germanica miliaria, vel potius Leucæ Gallicæ.

Locorum nomina Gallica.

D' Anversa a Malines miliaria 4. Lovagnie 4. Tillemon 3. ad Hu 6. Boys 2. Ionte 2. Grauha dimid. Soye 1. cum dimid. Cambray 2. & dimid. Fillii 1.

Borzi

Borzi 2. inde potest duplex iter capi, vel per Esternach, vel per Ettelbruck: sed per Esternach brevius est, & venitur a Honsee 3. mil. Viande 3. Esternach 3. Triere. Treverim 3. Cerff vel Cierff 2. Lossen 2. Lebach totidem. Huystuillræ 2. Sarbruck 1. S. Iohan 1. Gheum vel Ghevune 1. Mumcherck 1. Rumelling 2. Yucheborch. Hinc transis nemora & viæ dux capiendus est. Iuviere 2. Strasburg 3. Slestat 6. Colmar 3. Herliering 2 Othmarzen vel Othmarsheim. Basel 3.

Aliud iter ex Antuerpia Treverim per Leucas.

Cum fueris a Hu ibis Fhohogne miliaria 3. & dimid. Bomal 1. & dimid. Giurgerbam 3. Samie aut Malmedi 1. Santa Vitta 2. Bronfeld 3. Bechendorf 3. Bittborgh 1. Spittal 2. Trier 2.

Ex Antuerpia Basileam per Leucas.

Cum fueris (ut supra) in Tilmon, eas ad Varen miliaria 4. Leghe. a Liege 4. Verniz 3. Iar 2. Mamedi 2. Sant Sut

2. si per Ypnon ire opus est ex Liege ire ad Herff 1. Vuilre 1. Dallen 1. Ypnon 1. Zoerbroot hic transis seme mil. 3. Santa Vitta 4. Bronfeld 3. Bechendorff 3. Bittborgh 1. Spittal 2. Trier 2. Reliquū habes supra.

Ex Antuerpia Moguntiam &c. nomina Italica, per leucas.

Ex Antorff ad Diritom 4. mil. Dist 4. Lasselt 3. Mastrich 4. Aquisgran 4. Durra 4. Peynbach. Brisich. Andernach 3. Cobolenza 3. Maganza 10. cum intermediis locis.

Gallicè, le chemin de Tuornay a Basle, per Leucas.

Da Tounay a Andernarde 7. milia. Gandt 5. Anvers 10. Liere. Diste 7. Asfele. Mastrec 7. Ache vel Arle 4. Dura 4. Bonne 7. Andrenache 6. Convoldus 3. Poupart 4. a S. Ghiener 2. Baberac 2. Binge 2. Ling. Ingelum 2. Mens vel Niens 4. Francford 4. mili. Tamerstat. Guerinche. Aupenam seu Oppenheim.

Vuorms

Vuorms 8. Spirs. Grane 4. Raſtat. Torhunzu. Strasburg 12. Bopes Margeltzen. Kems. a Basle 14.

Ex Baſilea Genevam, miliaria Germanica &c.

Ad Liechſtal 2, parva mil. inde cum exis tende ſtatim ad dextram, & ita recta quoad aquam invenis. Vuallenburg 1. milia. magnum. Balſtal per parvum montem 1. Intermediat Langeburg. Solodorum 1. Intermediat Dietelſpach oppidulum. Buram 2. Harberg 2. Morat 1. magnum. Paterniacum vel zuo Peterlin 1. mediat Avans oppidum in alto a dextra. Mondon 2. ad ſiniſtram tende Lauſannam 3. Morges 1. Roll 1. Nyon 1. Genevam 1. cum dimid. mediant duo loca.

Ex Baſilea Biſuntium ſeu Biſantz caput Burgundiæ miliaria Germanica.

Ex Baſel ad Vualtdicoph 2. Vlpach 1. Sept 1. Fetſch 2. Vel Feuer 1. Tatter 1. Mimpelgard 2. mediant duo loca. Ex

Mompelgard gon Clerenal 5. Bamc vel Bamen 2. Bisantz 3.

Ex Argentina Veronam per Germaniam.

Ad Rastet diei iter. Ad Spiram dies. Vuormatiam dies. Moguntiam dies. Inde si vis descendere Coloniam tres dies. Si verò Francfordiam dies. Inde ad Vuirtzpurg dies duæ. Nürenbergam dies duæ. Vlmam dies duæ magnæ. Augustam sesquidies. Kemptam sesquidies. Fuasach tantundem magna. Tridentum dies duæ. Veronam duæ dies breves.

Iter brevius ex Basilea Antuerpiam per leucas, & nomina Gallica & Germanica.

Ex Basilea ad Kemps mil. 2. Hault mursich 2. & dim. Hirtzfeld 2. Heiligcreutz 1. Colmar 1. Kesper 1. Lapolidi 2 cum dimid. Pleinfoni 2. ac dimid. Sant dye 4. Vanum raon 1. & dim. S. Catelines 2. a la Ronches 1. Neu Villes 2. S. Nicolas 3. Granbochier 3. Nomeni 4. Metz vel Meß 3. Richcmon 1. Thionvilles

villes 1. Hettinga 1. & dim. Neurſich 2. Altar 1. Arle. Arlon 1. Sadex 2. Martelingo 1. cum dim. Cholengie totidem. Chenoyes 2. Ortenvilles 3. Leignier 1. Marche 3. Lutin vel Cutin 1. & dim. Corionilla 4. Namur 4. Thourrin 2. Butbaye 2. Lovainge 4. Malines 4. Anverſa 4.

Ex Baſilea Mediolanum miliaria Germanica.

A Liechſtal 2. Zoffingen 3. Surſee 2. Lucernam 2. Altorff per lacum 4. vel ad Bruna per terram 3. inde Altorff per aquam 1. Vrſera tria, intermediant Silano & Vaſer. Ayrollo ultra montem Gothardi 2. Faitto 2. Lugano 3. Como 3. Barlaſina. Mediolanum.

Ex Roma Neapolim alio itinere quàm ſuperius. Nomina & miliaria Italica.

Da Roma a la Ficha miliaria 8. a Val di montone 14. Piedanani 12. Fruſelone 3. Caperano 18. Ponte curto 8. alla Fratta 10. alla Rocha 18. Patria 14. Napoli 16.

Ex

Ex Ancona Ferrariam.

Ex Ancona a Sinigaglia 20. Fano 15. Pesaro 5. Fumine 25. Sed sunt loca media. A Stabiniano 10. Cesena 10. &c.

Ex Como Florentiam & ultra, miliaria Italica.

Da Como a Herba 12. Pontida 16. Bergomo 10. Milano 30. Lodi 20. Piasenza totid. Cremona 30. Inde per Padum flumen itur Ferrariam, inde Bononiam miliaria 40. la Casa morta. a monte Carelli. a Barberino. Intaldumarian. Firenze. Inde a Lancisa 13. al Ponte a le tane tredecim. la Chiassa totidem. Anbiari 10. al Borgo san sepolcro, 4. a Pace transis montem 13. Fermignano 16.

Ex Basilea Venetias nomina & miliaria Germanica.

Von Basel gen Lauffenberg 4. Schafhusen 4. mil. Constantz, Dednang, Isne, Kempten, Reitten, Ferrer berg, Nazoret, Insbruck, Stain, Brenner berg, And, Brixen, Botzen, Soltoren, Trient,

Burg,

Burg, Hoſpital, Cobel, Baſſan, Caſtel Franc, Meſtres, Venedig.

Alia via, quæ per alpes Venetias ducit.

Liechſtal, Zoffingen, Luceren, Vri, Gottard berg, Pellinſona, Louers, Ferres, Mediolanum, Cremona, Breſſa, Verona, Vicenza, Citadella, Caſtel franco, Maſtres, Malgera, Venetiæ.

Ex Mediolano Compoſtellã per Galliam, Hiſpaniam &c. miliaria primò Italica, poſtea Leucæ. Nomina Italica.

Vercei 40. mil. Liverna 26. Chivas 9. Turin 20. Rivole 6. Vigliana 4. S. Giori 7. Suſa 4. Inſiles 6. hinc intras in Delphinatum Viennæ, & per Leucas, quæ interdum duo, interdum tria miliaria Italica complectuntur: ab Inſiles ergo ad Honzon leucæ 2. Suſana 2. Brenzon 3. S. Martin 2. S. Creſpin 3. Embron 4. Corſes 4. Talardo 4. Salſa 1. S. Lazaro 3. Empera duæ: hac intratur

in

*in Galliam Narbonensem, seu Proven-
Za, ex Empera ad Sadoron 3. a Saur 3.
Marmoron 3. Carpentras 3. Triangue
2. Vignon 2. Villa nova 2. Hinc intra-
tur propriè in Galliã, a Saragnagna le-
ghe 4. Besorza 1. Nemes 2. Lunel 4. Co-
lumber 2. Mompelier 2. Lupian 5. a S.
Tiberio 3. Bises 3. Campo stagno 2. Hons
4. cum discedis ab Hons ne eas per re-
ctum iter, sed videbis viam a sinistris
qua ibis a Franzarin 12. Marsaieta 1.
Tribi 12. Carcasona 1. Abram 3. Pede-
sora 1. Castel novo 1. Villa Francha 3.
Villa novella 1. Vagesia 2. cum dimid.
Monguiscardo 2. Tolosa 3. hinc exis ab
Anseris lingua, vulgò lingua d' ocha, &
intras Aquitaniam, vulgò Guaxogna.
Tolosæ in templo Sernini ostendunt in
tribus arcis argenteis corpora Sancto-
rum (ut ajunt) Matthæi, Thaddæi &
Sernini. Ex Tolosa ad Lagabi 3. Lila 3.
Gimon 2. Gobier 2. Marzan 1. Sivat 1.
Baram 2. Laila 1. Monte Schivo 12.
Marsegiach 3. Malborget 2. Nogia 3.
Morlans 2. Borgo arber 3. Hortes duæ.
Pondhortes 2. Salva terra 3. Malbor-*
ghet

ghet 2. Hostran 2. S. Zan de pie de port 4. a Roncisualle 7. Nunc Navarriam intras. In Roncisualle poteris mirabilia quædam videre, ut Rolandi cornu, sepulchrum eius & aliorum heroum, ossa gigantum &c. Inde al Ponte del Paradiso 4. Resogna 1. Pampaluna 4. Ponte de la ruina 5. Lustela 4. La recho del Roy 4. Vianas 4. Grugno 1. Hac intratur in Hispaniam. Navaretta 2. Nausera 3. S. Domenego de la Calzada 4. Gregnon 3. Beltferato 3. Villa francha 2. Villa nova 4. Burgus 4. Fornello 4. Fontana 2. Castro Soritz 3. Ponte de mula 2. Formeza 3. Carion 4. Caschadegia 4. S. Zane 2. S. Fongon 2. Brunello 4. Mansiglia 4. Lion de Spagna 3. San Michele 2. Ponte de l' aqua 4. Storga 3. Ravanela 5. Villa nova 4. Sette molini 2. Monteferrato 2. Panier 2. Villa francha 2. Hinc intras Galitiam, a Salva terra 2. Mala fava 4. Tre Castelli 6. Villa nova 4. Ponte de min 4. San Iacomo novello 4. San Leunes 5. Villa nova 3. Villa roza 3. Compostella 3. miliaria.

Ex Taurino Argentinam.

Chievasch, Sant Ia, San German. Vercelli, Navara, Gatinara, Arona, & transire lacum majorem seu Larium vocatum, & venire Bellinzonam, inde Faydt, Irol, Monte san Gotard, Altorff, per lacum Lucernam ire. Zophingen, Olten, Liechstal, Basel, Brisach, Strasburg.

Ex Geneva Lugdunum: & inde per Lothoringiam, Basileam, per leucas gallicas.

Ex Geneva Colonge leucæ tres. San German 3. Lantua 3. Sarden 3. S. Mauritz totidem. Molvell 4. Lion 3. Vila francesce 5. Macho 6. Tornon 5. Calon 5. Verdon 3. Soree 3. San Gan de Lova 3. Ausona 3. Pontarch. 3. Grey 4. Bratt 3. Ongichort 5. Matilart 3. Lusoi 4. Roncan 3. Lurè 1. Befort 4. Tamerkilch 4. Altkilch 1. Auspurg 1. Eßinga semis. Basel semis.

Ex Fontanou Argentinam iter.

Begu 1. *Arslie* 3. *Bisontena a Santa Maria* 4. *Scenouuill* 3. *Matzene* 3. *Strasburg* 3.

Ex Antuerpia Lutetiam, per Leucas.

Malins 4. *Borselles* 4. *Ans* 4. *Abreans totid. Amons tres. Avalensiens* 7. *Cambertu totid. Micencostura* 4. *Perona* 4. *Marscel* 3. *a Roie* 4. *Giornei* 5. *Pont sant Mesen* 5. *San Lis* 3. *Liure* 4. *Paris quod est orbis in orbe*, 6.

Aliud iter ex Venetiis Romam, quod aliàs peregrini faciebant.

Da Venetia a Chioza, Ferrara, Bologna, Castel San Piero, Imola, Faenza, Forli, Cesena, Rimene, Pesaro, Fano, Sinigaglia, Anchona, Santa Maria da la rete, Tolentino, Camerino, Foligno, Spoliti, Terne, Narne, Ottrigoli, Rignano, Castel novo, Roma.

Aliud ex Basilea per Metim Antverpiam: per leucas.

Othmartzen 3. Hirtzfelden 2. Colmar 2. Keiserspergı. Plain fin. 3. San Die 2. Raon 5. Neve Ville 4. S. Nicolas 4. Nansy 2. Nomenin 4. Metze 4. Tionville 4. NarZi 3. Arlon 4. Martelango 3. Ortonville 5. Marzia 4. Imtione 4. Namur 4. Pernes 3. Lovano 4. Malines 4. Anversa vel Bruxelles 4.

Iter ex valle Telina Basileam: per miliaria germanica.

Ex Tirano Pesclavium 2. miliaria parva. Inde Pisadellum, vel ab alio latere ubi est melior via, quamvis utrinque ascendendum sit, unum miliare. Inde ad domum Dorici vel filiorũ in Pennina monte 2. Inde Pontresinam 1. Samadam dimid. ad Pontem Chamuasch 1. Inde ascenditur albula mons, & post descenditur usq; ad Borgognium 2. Inde a Lanz 1. Inde Parpan 1. Curiam 1. Ragaz 2. Vallestat 2. Inde per flumen ad Vuezam 2. vel per montem. Ex Vuezza per flumen vel per terram ad Rapisvil 2. Tigurum 2. & dim. Inveniuntur loca intermedia, in quibus hospitia etiam

am sunt. Sed qui vult per navim commodè & parva impensa venire, sit in Valestat die Martis vesperi, ut summo mane sequenti navim euntem ad mercatum Tigurinum in duobus diebus, ascendat. Ex Tiguro Badam Helvetiorum 4. milia. Inde Bruck, Mumpff 1. Rinfeld 1. Basileam duo. Sunt alia intermedia hospitia ubiq;.

Ex Clavenna Curiam Rhetiarum iter est duorum dierum.

Duplex iter: nam aut per Splugam montem & vicum, & Tosannam, venitur Curiam: aut per septimum montem latiori & parum longiori via venitur ad Lanz, & Curiam. Singulo ferè miliari etiam dimidio sunt uicunq; hospitia.

Ex Basilea Augustam Vindelicorum itinere equestri, & miliar. Germanicis.

Rinfelden, Mumpff, Lauffenberg, Vualdshuot, Nuukilch, Schaffhusen,

Phullendorff, Sulga vel Künig ſech, Schuoſenriet, Biberac, Vlm, Augſpurg. Vel ex Schaffhuſio gen Stocken 3. mil. Phullendorff 2. Mengen per ſylvam 1. Reudlingen 1. Margdal 1. Einga 1. Hirpach 2. Vlm 1. Kindzpurg 2. Auguſtã 7. vel ber navim, & pedes, vel eques etiam, ex Schafhuſio Dieſſenhofen 1. Stein 1. Steckboren 1. Conſtantiam 1. Merspurg 1. Marckdorff 1. Ravenſpurg 2. Vualſee 2. Ochſenhuſen 2. Eritzheim 1. Oſterberg 1. Rotterhuſen 1. Crempach 1. Dainhuſen 1. Rieda 1. Gezzerhuſen 1. & dim. Tiredorf 1. Auguſtam 2. vel alia latiori & longiori ex Conſtantia ad Lindaum (Lindou) Vuangen &c. Memingen, Mindelheim, Sibnach, Muminchen, Augſpurg.

Ex Baſilea Friburgum Briſgoæ.

Schliengen anderthalb. Crozingen 2. Friburg anderthalb mil.

Iter a Baſilea ad S. Mariam in Lothoringia, miliaria germ.

Exeundum per portam S. Iohannis ad

ad Michelfeld mil. dim. Domus seorsim dim. Kemps dimid. Templum cum puteo dimid. Americk, Otmarzheim vicus 1. Hirtzfeld dimid. Niderhecke Heiligcreutz oppid. mil. 1. & dim. Kolmar 1. Beinvuir 1. Clichelvuir 1. Rabvuir urbs 1. Ruppevuir, Mariæ kilch.

Iter a sancta Maria Basileam, devitatis montibus.

Marie kilch, Heiligcreutz, Mosla, Lieure, ibi crux supra ripam: a latere castelli Banville molendina. Kastholtz 2. Domus cum ponte. Barchet urbs 1. Pagus quidam. Templum. Colmar 2. Heiligcreutz 1. Niderhercke. Hirtzfeld anderth. Banzen totid. Othmarsheim dim. Amrick. Templum cum puteo 1. domus seors. dim. Michelfeld, & Basilea unum.

Iter Basilea Bibracum.

Krentzach dimid. Vuilen, Vuallenbach, Rinfeld, Muli, Mumpff, Stein, Sekingen, Lauffenberg, Loutingen, Havuenstein, Toperem, Vualtzhuot, Diengen,

gen, Hor, Eschingen, Radin, Neuhaus, Neukilch, Schafhusen, Herblingen, Deingen, Euringen, Hiltzingen, Rumelshof, Stisling, Vualvuiß, Stocken, Vrsu, Neuhaus, Beyvuang, Phullendorff, Ostren, Daffa schuiler, Bachhaupten, Saulpen, Brunavuiller, Buochen: hic conscenditur lacus magnus. Opeltzhusen, Stafflungen, Mitlen Bibrach, Bibrach: si quis non poßit aut nolit per lacum ire, hac ibit, Saulgen, pagus quidam alius, Reichenpachs, Steilim haus, Druttenschvuiler, Krott, Rente, Vueruschvuiler, Bibrac.

Iter ab Argentina Basileam.

Von Strasburg exeundum per metzger portam, Kerthor. Vuickhusli, parva arx, Blopsi 1. & dim. Vnser Frau zy reich, Cœnobium. Ander krafft, pagus ad fluvium vocatum Krafft 1. Berste, Obner dim. Boffen, Birsenem dim. Thiebelza, Flachsen, pagus quidam, Artelzen 1. Mazene, Marckilzen dim. Arzene, Biesen 1. cum dim. Brisach urbs, Othmarsheim, Amrick, Templum cũ

puteo

puteo 1. Kemps dim.domus ſeorſim dim. Michelfeld, Baſel 1. intratur per portam S. Iohannis.

Iter Baſilea Tigurum.

Von Baſel per portam ſancti Albani. Zum Rotenhaus, Rinfeld 2. mil. Mule, Mumpff 1. Eiken, Frick, Hornus, Bötzen aſendendus eſt mons 2. Euingen, Brug, oppid. D. Bernatum 1. Ruß fluvius qui navi transeundus. Bebendorf, Vuil, Baden urbs transeundus fluvius, Frimat, Vuatingen cœnobium, ubi navi fluvius transeundus, Leimat, Breitbach, Dietingen, Altſtetli, Zürich: hac alia meliori via non transeundus navi fluvius Leimat, ſed tantum pons: ex Baden ergo ad Vuurls dimid. Outvuil, Vuiningen dimid. Hun dim. Zürich intrandum per portam Niderdorff dictam, dim.

Iter Baſilea in Lauffen.

Münchenſtein caſtrum & pagus. Altkilchen caſtrum, aliud caſtrum, Dornach caſtrum cum pago. In monti-

bus ad sinistram: Rinach pag. Episcopi Basiliensis. Eschen 1. hinc licet ire vel per montem, vel per vallem juxta Birsam &c. Lauffen 1. oppid. Episcopi Basil. ubi Evangelium prædicatur.

Dum alia atq; alia itinera ab amicis exquiro, incidi in librum Itinerum totius Galliæ & partium vicinarum, a Parisiis primaria urbe ad loca omnia frequentata iter distinctè docens, & multa monens: qui quia satis ex se magnus est liber, & toties Parisiis excusus, satis mihi est, si illius titulum ea lingua hic scribam, ut quivis sibi comparare queat; titulus Gallicè talis est:

La guide des chemins de France, reveue & augmentee pour la troisiesme fois. Les fleves du Royaume de France, aussi augmentez. a Paris, chez charles estienne, imprimeur du Roy
M D LIII.

F I N I S.

FOR-

FORCIANÆ QVÆSTIONES, IN QVIBVS VARIA ITAlorum ingenia explicantur, multaq́; alia ſcitu non indigna.

Authore Philalethe Polytopienſi Cive.

MAVRITII SCAEVAE CARMEN.

Quos hominum mores varios, quas deniq; mentes
Diverſo profert Itala terra ſolo,
Quíſve viris animus, mulierum & ſtrenua virtus,
Pulcrè hoc exili codice lector habes.

h

FORCIANARUM QUÆSTIONUM LIBRI DUO.

Ad Franciscum Turchium Patricium Lucensem.

QVanta me benevolentia prosequatur Vincentius Bonvisius quantisq; officiis me sibi devinctū habeat, nec tu suavissime Francisce ignoras, et ego me hercules non solum non dissimulo, sed libenter etiam ubiq; prædico. Is tamen, quasi illius in me præclara merita non satis constare diffideret, ut suæ peregregiæ ac amicæ voluntatis pleniorem significationem exhiberet, me perduxit ad urbem vestram cum studiis ingenuarum artium florentem, tum etiam opibus & mirifico quodam animorum consensu, ad vestram hanc Rempub. non solum ornandam sed augendam & illustrandā. Quanquam iis jam sit ornamentis in-

structa,

structa, ut perexigua fieri posit accessio. Est enim & optimis legibus & sanctissimis institutis fundata, incorruptissimis judiciis constabilita, & quod caput est, honestissimis civibus referta, ad quorum amicitiam gravissimo ac religiosissimo Vincentii testimonio ita mihi aditus est patefactus, sicq; factus sum illis intimus, ut nihil jam habeant tam in omni vita propositum ac deliberatū quàm ut de meis cōmodis & ornamentis cogitent. Quale verò jam dederint specimē, quantaq; voluptate Lucenses hosce dies quibus absfui traduxerim, si perscriberem, existimavi facturum me tibi rem neq; ingratam, neq; odiosam. Consumti enim sunt, mihi crede, tanta cum jucunditate, ut majorem nunquam meminerim. Non fuimus in urbe amplius duodeviginti dies. Ea certe visa est (quanquam pusilla) non solum Ethruriæ urbes, quas videre licuit, superare, sed etiam (quod bona tamen pace dictum velim) totius Italiæ. Nihil planè earum rerum, quæ ad urbis splendorem faciunt, desiderari potest. Primum, mirè me affecit fluvi-

us ille pellucidus, & quovis tempore tam gelidus, ut vix pedib. pertentari queat. Non mediocriter oblectarunt magnificæ ædes, singulari quadam artis peritia exædificatæ. Pari delectatione affecerunt marmorea templa, orientem versus spectantia, & ea loca quæ ab eo hominum genere habitantur, qui a solitudine nomen induerunt. videbantur enim nihil aliud spirare præter sanctitatem & vetustam illam Ethruriæ disciplinam. Ita me dii benè ament, ut quoties illa inspicerem (Fiebat autem, quæ sua est benignitas, crebro inspiciundi copia) si non videbar intueri illa vetusta Syriæ ac Tebaidis sodalitia. In iis enim, quod me certe vehemẽter oblectavit, summa puritate traduntur Evangelicæ litteræ, illinc petuntur Sacræ conciones, & lustricæ peccatorum confessiones, illinc dantur responsa, & si quis peccatorum pœnitentia & dolore consternatam habeat mentem, illinc petit qui erigat & consoletur. Si vero tibi narravero, quantopere delectatus sim plateis, ac viis tam politis, ut etiam non calceatus possis totam urbem obire, nimius fortasse videbor. Prætereo qui-

quidem multa, quæ mihi visa sunt quã optimè instituta, quæ me hercules non sine nefario scelere reprehendi possent. Sed quid dicam de sanctissimo illo vestro senatu populoq; Lucensi. Equidem satius esse puto tacere, quàm pauca dicere, non possum tamen mihi temperare quin aliquid dicam: nusquam vidi tam severe mores corrigi, tam incorrupte judicari, tam religiose Deum coli, illic non sunt, qui fœminarum oppugnent pudicitiam, qui peierent, qui furentur, aut qui in popinis patria bona obliguriant. Nusquam vidi tantam adhiberi curam quo bonarum artium studia floreant. Vndique, si sit opus, accersuntur amplo stipendio qui juventutem & bonis moribus imbuant, & optimis artibus instituant. Accessi enim sæpius ad vestros professores, neq; certe potui (ut nihil dissimulem) non ex animo invidere vestræ juventuti, quæ tam studiose discit, & tã egregie instituitur. Fortunatos illos, bona si sua norint. Habent præinsignes præceptores, quorum alter Baptista Bononiensis & re & cognomento Pius, qua verò

eruditione, ex ingenii sui monimentis cognitum puto: Alter verò Gerardus Dicæus vir omnium laude, prædicatione, literisq́ decorandus, quo uno cive satis ornata esse posset vestra R. P. etiam si omnibus aliis vel fortunæ, vel naturæ ornamentis destituta sit. hunc etiam præter cæteros tui studiosissimum cognovi. Nos cottidie discessum ab urbe cogitabamus, non quòd ulla nos cœpisset satietas, id enim in tanta amœnitate fieri nunquam potuisset. Atqui non deerant qui darent omnem operam, ut nos diutius in urbe detinerent, quò liberius nostra consuetudine frui possent. Sed constitutum erat Ludovici Bonvisii suasu Fortium proficisci, ubi & animos & corpora itineris difficultate fracta & debilitata recrearemus. Illuc igitur pervenimus, ne vivam, si quem locum nactus sum unquam, aut amœniorem, aut ad recolenda studia aptiorẽ. Cœlum ipsum indies magis arridebat, suoq́ benigno aspectu ita nos dulciter detinebat, ut de reditu, ac si lotum gustavissemus, nihil amplius cogitaremus, illic erant omnia

læta & jucunda. Si quid moleſtiæ in animo habeas, ut ſæpe contingit, ejicitur ſtatim, atque omnis expuitur miſeria. Sumſiſſem mihi libenter deſcribendi loci negocium, niſi tibi bene cognitum eſſe conſiderem. Scio te ſæpe ſolitum, illic omnes tuas curas omnesq; animi tui ſolicitudines deponere, & recte quidē, nam ad depellendam mœſticiam & animum gaudio explendum, mihi propemodum factus videtur. Contigit ſemel, ut inter oliveta quædam obambulantes, neſcio quo fato in hunc ſermonem incideremus, nempè unde tanta ingeniorum diverſitas, tamq; multiplices naturæ exiſterent, ita ut vix duo aut tria paria invenire poßis, quæ non ſint planè dißimili ingenio. ſic placuit omnib. hæc quæſtio, ut cæteris ſermonibus rejectis, huic uni tantum incumberemus. Sedimus itaque in illo gratißimo ſeceſſu, quo tu quoq; animi relaxandi gratia convenire ſolitus eras, ut te verò noſtrarum deliciarum nihil ſuffugiat, decrevi eorum quoq; nomina cum virorum, tum mulierum, qui noſtris ſermonibus interfue-

runt perſcribere. Fuerunt autem, (ſi recte memini) Martinus & Ludovicus Bonviſii, animo & natura fratres, iisq; dotibus præditi, quib. liberos homines ac tã honeſto loco natos eſſe decet. Hieronymus Arnolphinus ſummo ingenio ſummaq; prudentia, Ioannes Guidiccionus vir, cum foris clarus, tum domi admirandus, Bernardinus Cinamus non tam ingenio & prudentia, quàm religione, ac fide ſingulari. Martinus Gilius præſtanti ſingulariq; natura, duabus (niſi fallor) interjectis horis, advenerunt Vincentius & Ioannes Bonviſii viri cum magno & excelſo animo, tum etiam aperto & ſimplici, ac nulla vel in hoſtes malevolentia ſuffuſo. Poſtremo Nicolaus Turchius frater tuus & voluntate & ſententia tibi conjunctiſſimus, ſecumque perduxit Annibalem, Crucæium & Iulium Quercentem urbis noſtræ Cives clariſſimos & alta quadam mente præditos, omnium verò poſtremus Vincentius Guinigius, vir antiqua virtute & fide. Ex mulieribus verò, Clara Cinama omnium quot ſint, aut unquam fuerint, humaniſſima. Catharina Sbar-

ra

ra lectißima & pudicißima, Margarita Bernardini forma mirum in modum luculenta & candidißimis moribus prædita, Camilla Bernardi Guinigia, in qua profecto neſcias, quid potißimum laudes. pectus eſt conſilio ac prudentia plenum, os pudentißimum, vultus venuſtus & modeſtus, inceſſus gravis & regium quiddam ſpirans. Catharina Bonviſia plena ſuavitatis, officii, ac diligentiæ. Conſederat quisque in eo loco, quem ei ſors obtulerat, certe nos pulvinaria nulla attuleramus, itaq; per herbam fuſi, ſermones noſtros inceptavimus. LVDO. Fui ego ſæpißime in hac cogitatione, quid cauſſæ eſſet, quod tam vario ſimus ingenio, & ea de re, cum multis neq; indoctis, neq; inſulſis, communicavi, nunquam tamen potui vel ad tenuem conjecturam evadere, quoties etiam nunc admiror. Quoties hujus rei cauſſam requiro, neq; qui mihi ſatisfaciat, usquã reperio. CRVCABIVS. Iſtuc pol cuperem ego etiam intelligere. Sed quæſo te, expedi mihi, quæ ſit hæc hominum multiplex natura, de qua vide-

re tàm ſolicito animo eſſe, non enim ſatis intelligo, ſiquidem mihi ejuſdem naturæ videntur omneis homines eſſe, cum una tantum & non plures ſint naturæ. LVDO. Loquar igitur apertius, ne nos æquivoca fallant, aut tibi ullus relinquatur argutandi locus, video enim te ad cavillos probè inſtructum, libenterq́ argutari, & ſi omnium minime ignores non decere, juvenem optimis ſtudiis deditum, Sophiſtarum argutiis, ac arte contortis ſyllogiſmis tantopere delectari: oſtendamq́ in omnibus ferè noſtris actionibus, nos eſſe diſsimiles, atq́ a doctrinæ ſtudiis primum exordiar, quorum ſcio, vos omneis percupidos eſſe. itaque abs te peto, qui fit, ut non omnes iisdem ſtudiis delectentur? ſed alios alia ſectari ſtudia. Amatis vos Mediolanenſes juris prudentiam, eiq́ cum blattis & tineis certanti, & opem & lucem multam attuliſtis, atq́ latinis literis, quod nemo ante vos fecit, illuſtraſtis. CRVCAE. Amamus certe (ut dixti) juris ſcientiam, ita tamen, ut cæterarum disciplinarum cognitionem nemo queat jure nobis

bis adimere. Laudem verò illam ingentem, qua tu nos ornas, Alciato nostro debere libenter fatemur. LVDO. *Tantum abest, ut de vestra laude quippiam sim ego detracturus, ut vehementer cupiam vos nostrarum participes fieri. Et si vobis tribuam majorem juris scientiam, nolim propterea alias ademtas esse. Amant Florentini eam Philosophiæ partem, qua principes rerum caussæ traduntur, plurimi faciunt Calabri Græcas literas, Neapolitani Ethruscas, Lucenses divinas, Veronenses politiores. Vicentini eam Philosophiæ partem, quam augentes latinam linguam moralem nominarunt, Bononienses Mathematicas disciplinas, Veneti rem Musicam, Ferrarienses, Patavini, ac Salernitani Medicinam, Senenses Dialecticorum argutias, præsertim si ab ea secta tradantur quam nominalium appellant. Perusini jus Pontificium, Mantuani Hebræorum literas, Papienses Sophistarum nugas. In exercēda verò mercatura, quantam, dii boni, dissimilitudinem perspicio. Sunt Florentini callidi, atq; ne vel mini-*

minimam jacturam faciant, quósvis labores & quævis incommoda libenter perferunt. Hanc verò Lucenses negligentius, ac minore cupiditate exercent, & datam fidem nunquam fallunt. Genuenses omnium hominum avidißimi, ac laborum tolerantißimi, lucri faciendi gratia, desertißimas ac remotißimas quasque regiones adeunt. Veneti verò aliam habent exercendæ mercaturæ rationem. Sunt enim excelsiore animo in hac re præditi, vel lucrum referunt, vel insigne detrimentum accipiunt, præsentíque pecunia & emunt & distrahunt. Cæteris verò Italiæ mercatoribus satis est obstrinxisse fidem. Mediolanenses tam mirabili sunt ingenuitate, tantoque animi candore, ut rei venalis vicium (si quod inest) palàm indicent, mallentque mori, quàm adstrictam fidem non liberare. A mercatura ad militiam propero, inter quas nonnihil est affinitatis, dum alius alium antevertit, præripitque lucrum. In hac strenui sunt Perusini, rapaces Piceni, præcipites Calabri, fortes, sed inconsulti Emiliani, norunt stratage-

tagemata omnia Spoletini, crudeles Ferrarienses & Placentini, felices Senenses, Truces Romani: probantur Mantuani equites, pedites non item. Animosi Bononienses, sed imperatori exercitus parum obedientes. Intrepidi Mediolanenses, sed suis plus mali inferunt, quàm hostibus. Maritimis prœliis nulli cedunt Genuenses, terrestribus verò, veluti languidæ pecudes sunt: ubi strepitum tormenti bellici senserint, illico animus timore obstupuit, neque pes, neq; mens satis suum officium facit: diceres Niobe stupidiores factos, aut pulchre appotos esse. Cremonenses pugnæ ordinem eleganter constituunt, atque bellissime acies instituunt. Nulli melius Neapolitanis hostem adoriuntur, instant, premunt, aut dextra levaq; feriunt. Optime sustinent impetum, atq; urgentibus resistunt Faventini, premunt cædentes, ictus incutiunt, incussos devitant. Perjucundum est spectaculum, intueri Forolivienses ad ducum signa dimicare ac proferre gradũ. Non potest autem satis narrari, quanta dexteritate Pistorienses Clypeo ictus excipiant,

cipiant, ac contemnant, acrius in hostem insurgunt Laudenses: Patavini verò et Veronenses optime insident equis, urgent stimulis, ac frenis moderantur, atque omnem in partem circumflectunt. Nulli melius Firmanis militib. tela ingerunt, aut vibrant lanceas, ac torquent hastas. Papienses nunquàm nisi prorsus desperata victoria de fuga cogitant. Fugientes insequuntur strenue, mactant, diripiunt, profligant. Vicentini sæpenumero desperata victoria ad vindictæ spem animum accendunt. Tacebo ne Venetos? IVLIVS. *Non facies certe si sanus sies, sunt enim Veneti toto orbe clarissimi.* LVD. *Neq; me latet, jam usq; ab initio sermonis nostri illos cogitabam, nescio me hercules qui factum sit ut tam diu distulerim. Sunt itaq; in apparandis classibus, extruendis arcibus, muniendis castris, locandisq; præsidiis peritissimi. Brixienses excellunt extruendis vallibus, compingendis aggeribus, evacuandis fossis, suffodiendis cuniculis, & fabricandis machinis: Bergomates verò confingendis dolis, comportandis com-*

mea-

meatibus, locandisque insidiis. CRVCAEIVS. *Sed ubi quæso tuos Lucenses omittis? novi ego certe multos rei militaris scientißimos. Cur etiam Florentinos non commemoras ac reliquas Ethruriæ partes?* LVDO. *Eram omnino illud facturus quanquàm serius. Cognovi Lucenses meos bene civitates obsidere, admovere machinas, fremere tormentis, perfodere muros, concutere turres, ac primos semper occupare mœnia. Pratenses & qui Politianum montem habitant, spoliant templa, vastant agros, diripiunt urbes ac incendia parant, Piscienses, Collenses, & reliqua Ethruriæ fex stuprant viduas, rapiunt virgines, ac cædibus omnia replent. Florentini autem, id tantum in præliis spectant, ut victoria potiantur, ad prædam minimè avidi. Sunt autem optimi exploratores. Posteaquàm bellatores commemoravimus, non alienum fortasse fuerit de iis pariter disserere, quæ ad conficienda bella pertinere existimo (nisi vobis molestum sit) quod certe nolim.* CRVCAE. *Mitte quæso Ludovice hanc [illegible]*

dicen-

dinem quæ te excruciat, ac meo periculo perfidenter narra quæ velis: An non vides, quanta omnes audiendi cupiditate flagrent: potes tu quidem facile vel me tacente illud cognoſcere. Altum in primis ſilentium, nullus eſt qui tußiat, ſcreet, aut roncos ciat, nullius aures vel levi ſuſurro perſonantur. Quid tu igitur times ne nobis negotium faceſſas, aut ullam moleſtiam parias? LVDOVI. *Inſtrumenta verò quæ ad conſerenda prælia faciunt, neceſſe eſt etiam e variis locis comportare. Afferunt pecunias Veneti quibus abundant, Ferrarienſes ſulphureũ pulverem et bellica tormenta, galeas Mediolanenſes, Equos Neapolitani, Carros Placentini, Clypeos Parmenſes, Tentoria Cremonenſes, Enſes Tarviſii ſaravallum, Lanceas Papienſes, Calcaria Viterbienſes. Afferunt Piſtorienſes optimos pugiones, Vicentini & Bononienſes ea præbent arma, quibus vulnera fiunt circularia & omnium peſtilentißima. Laudenſes præbent commeatum, Mediolanenſes verò & Neapolitani plus cæteris bellorum in-*

commo-

commoda perferunt. Hem vides si non hæc inter se valde discrepant, possem ego hoc pacto si velim in infinitum expatiari. CRVCAE. *Quid obstat cur non tuo arbitratu expatieris? me certe juvaret plurimum istæc tua expatiatio.* LVDO. *Plurima quidem obstant, illud verò in primis, ut vobis sit etiam narrandi locus.* CRVCAE. *Ego (de me loquor) quid dicam pol non habeo, tantum huc auditurus accessi. vos qui multa loca peragrastis id efficite, præbebo me attentum auditorem, neq; vos vel tantillum interpellabo, etiam si nostris parum faveritis, hactenus plus certe tribuistis quàm ipsi pro suo pudore postulare ausint: Equidem valde miror, Ludovice, cur nobis in re tam nullius negocii morem gerere tantopere graveris, quid si duram aliquam cœpisses provinciam? hui quàm invitus faceres? Cur tu Martine Bonvisi hunc non urges?* MART. *Vrgeo sanè, sed opera luditur, nam eo ingenio est, ut si quid se nolle semel affirmarit, sit pertinaciter in ea sententia usq; ad extremum permansurus.* CRV.

Amabo te igitur Catharina, coge virum tuum, quem ſemper tam facilem experiris, ut narrare pergat. CATHA. *Putatis igitur mihi eam operam præſtaturum, quam vobis denegarit, quorum cauſſa omnia & vult & cupit. Non video hic eſſe quemq̃. qui facillime non impetret, modo ipse ex animo, non pertentandi gratia peti intelligat, non dubium eſt quin Arnolphinus pro ea familiaritate quam ſecum intercedere voluit impetratum ferat.* CRVC. *Quid ſi ne hic quidem impetraverit? Ego certe nimium turpe duco ab eo ſermone deſiſtere, è quo non ſolum mirifica voluptas, ſed incredibilis percipiatur utilitas. Quid potest quæſo utilius afferri, quam ſi noſtrorum hominũ, quibus cum frequens eſt uſus, ita depingas ingenia, ut ſcias, quorum tibi conſuetudo prodeſſe, aut officere poßit. Ego me hercules non minus hac narratione delector, quàm ſi quis poſtea acutißime philoſophando hujusce rei, quam nunc quærimus, rationes explicet.* VINCEN. *Si ita eſt, quemadmodum tu nunc affirmas, poterit Arnolphinus*

phinus tam diligentem operam navare, ut nihil ſit amplius quod deſideres. ARNOLPH. *Nihil eſt certe tam difficile, quod veſtra cauſſa non ſim libenter facturus, ſed vereor ne cum id oneris ſubeam, quod Ludovicus recuſavit, nimium temere videar facere.* VIN. *Nihil profecto video cur dubites? facies tu certe omnibus rem gratiſſimã, futurumq́; polliceor ut a tuo ore pendeant. Fluet enim oratio quovis nectare ſuavior.* ARNO. *Si ulla in re viſi ſunt unquam mihi inter ſe diſcrepare Itali, certe in ratione victus diſcrepant. Cognovi primum Neapolitanos ſummo ſplendore & plus ſaccari abſumere quàm panis, caulibus præterea libentiſſime veſci. Florentinos parcos, non avaritia, neq; inopia, ſed natura, mira tamen ſunt munditie, habent in delitiis parvos quosdam caſeos, qui a Menſe Martio nomen traxerunt, dictique ſunt Martiolini. Lucenſes in victu, quemadmodum in plerisque aliis rebus, auream illam mediocritatem, quæ tantopere placet peripateticis, ſectantur, delectantur ii plurimum*

quibusdam piris, ea esse puto quæ olim Tiberiana dicebantur. Tenuissimi sunt Genuenses, nullaq; munditie, victitant Mantuani vilibus phasellis. Ferrarienses raro peregrinos ad eorum mensas admittunt: quo consilio id agant, non facile dixerim. Victitant Patavini pisciculis minutis obolo emptis: Veneti parvo obsonantur, tenuiter vivunt Aretini, splendide Senenses, caseisq; recentibus mirum in modum delectantur. Copiosi Mediolanenses & iis rebus frequenter utuntur, quæ ad irritandam ciborũ appetentiam faciunt. Papienses vescuntur libenter lactucis, cœpis, atq; alliis. Novocomenses infinitis epulis mensas instruunt, atq; edendi nullum finem faciunt, butiro vescuntur cupidissime, atque strenui sunt potatores: Lacticiniorum & omnis generis fructuũ frequens est usus apud Placentinos. Magnificè admodum vivunt Veronenses, Basilice Vicentini, delectantur anseribus Ariminenses, ficubus Piceni & suilla carne, appetunt Tarvisini ranunculos & cancros, lauta est Bononiensium mensa, ei tamen

tamen lauticia & splendore Cremonensis non cedit, utriq; vero farciminibus delectantur. Pisce quàm carne lubentius vescitur Perusinus (modo ex eorum lacu prodierit) cæteros contemnit. Astenses opipare vivunt, Laudenses copiosi, sed inconditi, Terdonenses ac Novarienses nimium acribus delectantur. Pedemontani omnes in victu gallicanum nescio quid redolent. Anconitani sordidi sunt. Reliquas Italiæ nationes persequi non est consilium, tum quod non satis cognitæ sint, tum ut sit etiam alia quæ desiderantur narrandi ocium, sed prorsus animi pendeo quid nunc persequar, equidem desiderium vestris obsequendi studiis animum meum diverse trahit, rapitq; modo in hanc, modo in illam partem. Cuperet Guinigius primum expediri variam orationem. Sed me Turchius acriter urget, ut varietatem vestitus edisseram, quod certe libenter facio, tum quòd ei scio me rem gratam facturum, tum quòd paucißimis me posse expedire confidam. Olim splendidißime vestiebant Mediolanenses: Sed postquàm Ca-

volus Cæsar in eam urbem tetram & monstrosam Bestiam immisit, ita consumti & exhausti sunt, ut vestimentorum splendorem omnium maxime oderint, & quemadmodum ante illa durißima Antoniana tempora nihil aliud ferè cogitabant quàm de mutandis vestibus, nunc alia cogitant, ac mente versant. Non potuit tamē illa Leviana rabies tantum perdere, neq; illa inexhausta depredandi libidine tantū expilare, quin a re familiari adhuc belle parati sient, atq; ita vestiant quemadmodum decere existimant. Et certe nisi illa Antonii Levæ studia egregios quosdam imitatores invenissent, meo quidem judicio nulli cederent. Neapolitani nimios exercent in vestitu sumtus. Genuensium vestitum perelegantē judico, neq; sagati sunt neq; togati. Fermè oblitus eram Venetorum. Ii togati omnes. Decet quidem ille habitus adulta ætate homines: juvenes verò (si quid ego judico) minime, utuntur panno, quem ipsi vulgo Venetum appellant, ita probe confecto, ut perpetuo durare existimes, sæpißime verò eas vestes

gestant

gestant nepotes, quas olim tritavi gestarunt. Noctu autem dum scortantur, ac potant, Hispanicis palliolis utuntur. Si non habeant, dant omnem operam ut aliunde, quo jure, quaq; injuria corradant, coguntúrq; interdum peregrini suos deserere. Ferrarienses ac Mantuani nihil tam diligenter curant quàm ut pileos habeant aureis quibusdam frustillis adornatos, atq; nutanti capite incedunt, seq; quovis honore dignos existimãt, Lucenses, neq; superbo, neq; abjecto vestitu. Florentinorum habitus mihi quidem ridiculus videtur. Reliquos omitto, ne nimius sim. Placet nunc variam orationem aggredi, in qua (si quid judico) potißimũ differunt, atq; se vicißim deludunt. Irridentur Mediolanenses a multis, ipsi interim multos deludunt. Neapolitani Calabros, Calabri Appulos, Appuli Hidruntinos, hos autem omnes Romani, Romanos Hetrusci. Hetrusci verò quanquam cæteris excellant, effugere tamen non possunt, quin & ipsi ridiculi sint, aut saltem quin se mutuo lacerent. Multa sanè perperam pronunciant &

Floren-

Florentini & Lucenses. Rudis videtur plerisq; Mediolanensium oratio, explicant illi tamen facile animi sui conceptiones, neque quicquam emendicati, aut affectati habent. Tardi sunt Veneti, eorumq; pronunciatione nihil putidius. Ridicula Genuensium, neq; literis consignari potest. Iucundissima Senensis, non minus jucunditatis, aut fortasse plus Florentina haberet, si voces non ingurgitaret, aut non ita palato lingua jungeretur. Qui vult Musas loquentes audire, is eos Lucenses audiat, qui non peregre fuerint. Sunt Ferrarienses oratione planè ferrea, id est, ut ego interpretor, indefessa. Duriter pronunciant Bergomates ac Brixienses, faceta est Perusina, non omnino insuavis est Bononiensis, celerius loquuntur Spoletini, versuti sunt in oratione Fulginates, balbi Novocomenses, graveis Capuani, superbi Romani, festivi Pistorienses ac Pratenses, non vacat dicteriis Consentina, plena fastidii & jactantiæ Neapolitana. Prompti sunt Narnienses, mendaces Piceni, Leveis Vmbri, vacat Lenociniis omnibus

Novariensis, lapides loquuntur Appuli. Afferunt incredibilem molestiam Pedemontani, omniũ verò peramœni sunt, qui Politianũ montem incolunt. VINCENT. *Vix possum præ gaudio intra pelliculam me continere, propterea quod me autore tot tantáq; ex Arnolphino didicimus, quàm graphice hominum mores depingit, quàm bellè omnia observat, perge quæso Arnolphine, atq; nobis varias nationum istarũ dotes enarra.* ARNOLPH. *Vos me ita urgetis, ut cogar multa præterire, neque possum eum in narrando ordinem servare, quem mihi proposueram. ne interpellate quæso. Constitueram in animo meo prius consilia, deinde orationem attingere, videbor certe parum sobrius, qui nunc Appulos attingam, nunc Emilianos, a Brutiis ad Volscos, a Volscis mox ad Lucanos curro. Erat mihi consilium, eum tenorẽ servare, quem locorũ constitutio ac positura videbatur efflagitare. Aperiam nunc quæ sit in consilio aut dando, aut accipiendo, dißimilitudo. Præstant consilio Mediolanenses, sed aliorum gratia poti-*

us quã sua. Sunt nullo consilio Genuenses, rumor est Venetos abundare. Sunt perutili consilio Lucenses, idq; aperte indicarunt, cum in tanto totius Italiæ ardore, tot hostibus circumsepti, suam libertatem, ad quam nati videntur, semper tutati sint, nulla quidem, aut capitis, aut fortunarũ ratione habita. Quis porrò non vehementer admiretur? Quis callida consilia non stupeat? Equidem quotiescunq; cogito, quanta prudentia ingruentes procellas evitarint, quanta solertia impendentia pericula effugerint, adducor in stuporem. Lucanis verò summum est studium, eos deludere qui consilii captandi gratia adeunt, ipsi verò omnia inconsulte & temere faciunt. Brutii optimo sunt consilio, sed ut incommodent, ac perniciem afferant, in rebus quæ sunt magnæ deliberationis dictu mirum quàm stupidi sint, iisdem planè dotibus instructi sunt Volsci, nisi quod ad cædes ac furta paulo propensiores sint. Pisani bono quidem sunt consilio, sed parum constanti, si quis diversum ab eis senserit, mox acquiescunt, rursus si aliter

ter suadeas, mutabunt consilium, illud in caussa fuit, quod tam duram ac diuturnam obsidionem ad extremum usq; non pertulerint. Placentini utrisq; abundant consiliis, scilicet, salutaribus, ac perniciosis, non facile tamen ab eis impetres pestilens consilium, apud Regienses neq; auxilii, neq; consilii copiam invenias. Si sequare Mutinensium consilia, raro cedet infeliciter, sunt enim peracutissimo ingenio, & voluntate planè bona. Providi sunt Florentini (si unumquenq; seorsum accipias) si vero simul conjuncti sint, non admodum mihi illorum consilia probabuntur, feliciter cedunt Senensium consilia, subita sunt Perusinorum, salutaria Ferrariensium, fideli sunt consilio Veronenses. semper ambigui sunt in consiliis aut dandis aut accipiendis Patavini. Sunt pertinaces in eo quod cœperint consilio Bergomates, respuunt omnium consilia Neapolitani, sunt consultissimi Bononienses. ego verò sum minimo consilio, qui tam dura tractare cœperim, neq; miror, si Ludovicus, posteaquam rei difficultatem sensit, nul-

lis precibus adduci potuit, ut inchoatum sermonem perficeret. Quàm dura in me exempla edent ii, de quibus minus honorifice sentio (si aliquando resciverint) itaq; non alienum fuerit, priusquam ulterius progrediar, vos sanctè jurare, me nunquam delaturos, alioqui aut desistam, aut formidolosius cœptum negocium perficiam, à te primum mihi metuo doctißime Iuli, non quod te futilem aut rimarũ plenum existimem, sed quia tibi cum iis, de quibus bene sentire non possum, plurimũ sit domestici usus. IVL. *A me vero nihil pericli est, perge amabo te, & quantum potes plenius expone.* ARNOL. *Postquam id vos tam ardenter cupere video, mos geratur. Sunt Lucenses etiam adversus hostes miti ingenio, faciliq; natura, Mediolanenses facile acceptas injurias condonant (modo commeritam pœnam deprecentur) alioqui probe injurias ulciscuntur. Sunt Neapolitani injuriarum strenui ultores, simili ingenio sunt Ferrarienses & Placentini, ægre condonant Florentini, dißimulant odia Perusini, ulciscuntur*

tur avorum ſuorum injurias Fulginates. Fingunt condonare Veneti, ſed ſi aliquando nanciſcantur ulciſcendi locum, nulli crudelius ulciſcuntur, obliviſcuntur injuriarũ Mutinenſes, ac Regienſes, occulta ſunt Picenorum odia, aperte oderũt Cremonenſes. Tanta ſunt animi magnitudine Senenſes, ut vix agnoſcant injurias, ſunt obſcurius iniqui Romani, Aſtenſes facile quaſcunq; injurias devorant, Papienſes faciles ſunt ad ſuſcipiendã indignationem, faciles etiam ad deponendam. Bononienſes ad miſericordiam propenſiores ſunt. Ignoſcunt libenter Novocomẽſes, ſi quid in eos pecces, faciliores etiam Laudenſes ſenties (modo te ſupplicem offeras.) Sunt autem beneficiorum maxime memores & grati Lucenſes, Mediolanenſes, Florentini, Senenſes, Neapolitani, Veronenſes, Brixienſes, oblivioſi verò Genuenſes, Veneti, Patavini, Nurſini, Appuli, (Brunduſini præſertim.) Erat omnino conſilium hanc partem plenius attingere, poſteaquam reſcivi Italos male audire apud Tranſalpinos, malæ mentis, maliq́; animi, poteram ego me hercules multos recenſere

populos, qui voluntaria oblivione gravißimas quascunq; injurias conterant. Sed postq̃ tantopere veremini, ne nos tempus deficiat, omittatur. Posteaq̃ de odio egimus, par est, ut etiam de amore tractemus, subsequetur mox quibus lenociniis adamatas ad amorem pelliciant, pax sit pudicis auribus, si quid forte minus pudicum effluet. Mediolanenses sunt Italorum omnium minus Zelotypi, nec admodũ obstinate amant, cupiunt carnariam, oderunt pinguiariam, amant verò maxime quæ sunt proceriore statura, Mantuani in amata fœmina, si bene choreas ducat, nihil præterea desiderant, sunt tamen satis industriæ. Florentini illud primum requirunt, ut summa sit modestiæ fama, non sit loquax, terram modeste intueatur, neque hac, aut illac cursitet, sed domi veluti coclea lateat. Neapolitani fumosas imagines quærunt, neq; amant, nisi sit elato animo, atq; omnium perditißime amant. Lucenses, cũ sint in amore omnium dicam constantissimi? an pertinacißimi? eandem etiam pertinaciam in fœmina expetunt, cupiunt præterea, sit in ea summa gravitas,
cum

cum humanitate conjuncta, habeatq; optimam corporis constitutionem. Sunt Veneti omnium libidinosissimi, sine delectu amant, sunt etiam in amore nulla constantia, modo hanc, modo illam depereunt, verum neq; huic, neq; illi fidem servant: ubi potiti fuerint, statim despiciunt, eandem non sæpè adeunt, si se facilè non præbeat de inferenda vi cogitant. Cognovi Ferrarienses amoribus deditissimos, atq; ardoris impatientissimos, sibi tamen in amore plus satis placentes, nulli rivales impatiẽtius ferunt. Sunt egregii formarum spectatores Senenses, atq; ut amata potiantur, nihil intentatum relinquunt, cupiunt autem quæ sit proceriore statura. Perusini quas amant, cupiunt audentiores esse, expetunt in fœminis dentium candorem, & cæsios oculos, Brixienses timidulas præcipue commendant, cum tamen pleræq; omnes sint excelsi animi. Calabri in ea, quam depereunt, quærunt cutis candorẽ, rubore circumfusum. Patavini in muliere desiderant exiguas papillas, id est caussæ, quod illic complures fœminas comperies, quæ plantaginis succu ne nimiũ excrescant,

ſedulo dent operam. Non abhorrent à fœminis Vicentini, & in ea quã amant, nihil præter miram elegantiã quærunt. Sunt magni amatores Genuenſes, atque ut amata potiantur, nullũ aut fortunæ, aut capitis discrimen recuſant ſubire, ſi ſe ſperni intelligant perpetuo lugent, amant verò quæ ſunt craßioribus lacertis, rubicundiore vultu, ac pleniore pectore. Veronenſes neq; nimium facilem, neque nimium difficilem, Mutinenſes pulchras non putant, niſi bellißime vultum ceruſſa & purpuriſſo infecerint. Fide ſunt Bononienſes in amore ſingulari et adamatam mirandum in modum colunt, neq; ſunt admodum Zelotypi, largißime donant (ſi potiantur) alioqui nihil extorquebunt. Placentini deſpiciunt maxima quæq;, ut amata fruantur, ſi Zelotypiæ morbo corripiantur, mox adamatam jugulant, in ea verò jucunditatem potius quàm pulchritudinem expetunt, Cremonenſis cupit canora voce, fidibus doctam, oculis nigris, Ravennates volunt dicto audientem eſſe, alioqui non amant, Vrbinates amant facun-

das

das & urbanas, oderunt verò maxime ignavas, si in Zelotypiæ morbum fortè cadant, mox recludunt, diligentius adservant, ac minis perterrefaciunt. Romani, sive mavultis Romanenses, gravem & majestatem quandam præ se ferentem expetunt, si fiant Zelotypi, in profluentem Tybcrim deturbant. Tarentini pinguiores volunt, garrulas, festivas, candidas, et quæ cultiore vestitu delectentur, in quem (si rei familiaris angustia pateretur) sunt suapte natura propensißimæ. Monopolitani eas fœminas in primis commendant, quæ paulo abitiores sint, voce suavi, lingua celeri. Pisani nihil in fœmina tam ardenter cupiunt, quàm ut ingenua sit, bonis moribus prædita, simplici & aperto animo. Cortonenses pathicam adorant, neq; unquàm amari sibi persuadent, si fruantur, cælum digito contingunt, si spe frustrantur, tanto corripiuntur furore, ut se plerunque interimant. Pistorienses quanquàm sint factiosißimi, ac domestícis cædibus intenti, non abhorrent tamen ab amoribus, cupiunt autem ii rubicun-

das esse, manibus oblongis, tenuioribus lacertis, ventre tereti, neq; nimium loquaces, neq; planè mutas, adde in eos male animatos quos ipsi oderint, raro autem zelotypiæ morbo afficiuntur, neque tam ardenter amant, ut si aliquando eam diversæ factionis intellexerint, quin mox veluti pestem fugiant. Savonenses verò, etsi Genuensibus finitimi sint, habent tamen dißimile ingenium, amant pulchre ornatas, vultus nitorem, optimum colorem, oderunt quæ peregrinos odores spirant, rarius coëunt, rei domesticæ diligentiorem curam habent, liberos melius instituunt, ministros etiam multo majore indulgentia tractant. Viterbienses, ubi illos cœpit satietas, in quæstum producunt. Sunt autem ad expugnandam fœminarum pudicitiam mire appositi, dolis & technis rem agunt. Restat modo narrem, quibus modis amorem sibi concilient. VINCENT. *Heus Arnolphine, non didicisti tu quidem hæc somnians. Quot puto tua caussa ad laqueum adactas.* ARNOLPH. *Id mihi contigisset fortasse, si tam furacibus*

oculis,

oculis, si tam liberali ingenio, si tam egregia corporis constitutione, denique si iis moribus essem, quibus te ornatum clarißima omnium voce prædicatur. Sed didici ego istæc, dum curiosorum hominum more, aliena pervestigo, domestica verò negligo, vel oscitanter tracto. VINCEN. Tanto polles tu quidem ingenio, ut utrunq; egregie potueris præstare, sequere amabo te. ARNOLPH. Quemadmodum varia sunt amantium ingenia, ita etiam variis artibus instructi, sperant se voti compotes futuros. Neapolitani dum bene insident equo, atque summa corporis dexteritate nũc in hanc nunc in illam partẽ flectunt, dum splendide vestiunt, hastiludia exercent, atq; opobalsama spirant. Student placere Mediolanenses oppiparis conviviis, si se negligi sentiant, continuo maledictis lacerant, Gallico morbo infectam paßim evulgant. Ferrarienses dum amatam in cœlum ferunt, choreis Mantuani, Perusini minis ac blasphemiis, Veneti illa sua ridicula magnificentia et insana jactantia, Bononienses donis, Florentini rithmis, Senenses dũ falsas lachrimulas

vì exprimunt, Lucenses pertinaciter amando, Vicentini perpetua consectatione, Veronenses obsequiis, Romani jocis, Cremonenses cantilenis, Aretini facetiis. Si quid pecco, date quæso veniam, non licuit enim omnem Italiam ita diligenter perlustrare, ut nihil me poßit fallere. Videor mihi nunc omnem meam supellectilẽ, quantulacunque esset, explicavisse, neque possum ego solus tantum oneris sustinere. Profecto nisi vestrum aliquis opem tulerit, non poterit cœptus sermo ad extremum usque perduci. Tu verò Guidiccione nihil ne es dicturus? ad te, mea quidem sententia, maxime spectat, neque munere istoc quisquam posset melius perfungi, tu enim diu versatus es in illa clarißima totius Italiæ luce, quo totus ferè orbis convenire solitus est. GVIDIC. *Tu perge Arnolphine perge, nemo est qui non te libenti animo audiat, atque ita esse quemadmodum dicis animum suum inducat. Saltem priusquam desinas, illam etiam partem attinge, quæ certe in primis probatur, & quam abs te prætermissam valde miror,*

ego me hercules tanti facio, ut si ea dote destituatur, quantumvis sit in aliis rebus cæteris præstantior, non posim illam urbem non spernere, ac diris omnibus defigere. ARNOL. Quid istuc quæso, quod a me prætermissum tam graviter doles? VINC. Vt excipiendorum hospitum varii mores narrentur. ARNOL. Quin tu illud potius facis? VINCE. Facerem me hercules, sed posteaquã ingenii tui lumen omnib. jam perspectum video, vereor ne meum obtusius etiam quàm sit fortaßè videatur. Tu narrato ut etiã in hac parte ingenii tui vis eluceat, tu namq; in hac suavißima narratione non solum ostendisti quanto polleas & ingenio & judicio, sed quantum etiam à facundia posses. Perge quæso, humanißime Arnolphine, vides quàm cupide expectent quotquot hic sunt, ut cœptos sermones absolvas, ne nos amabo teneas amplius animi suspensos. ARNO. Agnosco plus esse difficultatis, neque tamen ea gratia prætermieram, sed potius oblivione (quanquàm tu me sæpe de memoria commendaris.) Ego tamen qui meus sit super hac re sensus, aut quid de

aliis

aliis usu tractandæ Reipub. peritißimis audiverim, quam potero paucißimis commemorabo, neq; mihi vitio vertetis, si non eum ordinem sequar, quem commemoratarum urbium situs ipse deposceret. Illud enim nihil ad rem facit. Ego de iis primum dicam, quæ primum in mentem venerint, nullam prorsus rationē habens aut antiquitatis, aut splendoris, aut meritorum. Occurrunt primū Calabri, ii sunt in peregrinos officiosi (si sit cum iis faciendi lucri spes aliqua) alioqui quantum possunt vitant, aut donant quæ spernunt & oderunt. Amant peregrinum Neapolitani, si quippiā habeat in se eximium et excellens, Lucenses verò, non solum amant, sed reverentur, atq; omni officii genere complectuntur, caventq;, ne quid apud se incommodi patiatur. Florentini sunt officiosi, & re & consilio juvant, neq; commodum ullum respectant, si diutius apud illos fueris, & sensus et fortunas omnes aperiunt. Senenses non minore contentione pro externorum dignitate certant quàm pro aris & focis. Sunt verbis tantum officiosi

Veneti,

Veneti, re ipsa nihil prorsus. Astenses nihil non faciunt, quo sibi exterorum hominum benevolentiam concilient. Simili sunt ingenio Vercellenses, certant simul de promerenda hospitum benevolentia. Agrestes sunt Spoletini & Nursini, inhospitales Patavini si commodum non spectent, oderunt Bergomates, Veronenses nihil aliud student, quàm ut hospites omni officio ac potius pietate complectantur, Mediolanenses etiam suo magno incommodo sunt officiosi, Papienses non ita. Inhospitales Genuenses, etiã in eos, quorum ipsi benignitatem aliquando experti fuerint. Cum Ferrariensibus etiam, si illic sæculum agas, nihil tibi poterit esse domestici usus. Mantuani hospites deglubunt. Parmenses benigne quidem excipiunt, sed mox fastidiunt, nimiũ severi sunt Placentini. Nulli prolixius peregrinos accipiunt Mutinensibus. Amant quidem Novocomenses, nulla tamen officia aut studia (etiã si vehementer indigeant) conferunt. Infensi sunt Piceni. Sentio, viri clariss. lectissimæq; fœminæ, multam mihi oboriri satietatem, proinde

facite

facite quæso mihi, aut quiescendi, aut respirandi potestatem. Si quid reliquum fuerit, expediet Iulius. IVLI. *Ego quidem satis dictum existimo, neque video quid poßit amplius afferri, (nisi vobis fortasse libeat, ut nostrarũ fœminarum mores pari diligentia describãtur) quod certe mihi gratißimum foret. erit illud quidem difficillimum, non defuturum tamen arbitror qui non poßit in hac parte cumulatißime satisfacere. Poterit autem si volet Gilius, est enim perspicacißimo ingenio & fœminis tam grato, ut nullo negotio illarum sensus, nedum vulgatißimas consuetudines perspicere potuerit. Age igitur Gili, & quo sint ingenio Italicæ fœminæ narrato. Nihil est enim quod tam ex animo cupiam, neq; id certe tantum ut Vincentio morem geram, qui in aurem sæpißime immurmurat, magnopereq; à me contendit, ut rogem libeat ita copiose de fœminis disserere, quemadmodum de viris factum video, quàm ut eis ipsis satisfiat quibus plurimũ debeo.* GILI. *Ridicule nimirum facitis, qui præsentibus fœminis me* com-

compellatis de eis ipsis sermonem facere, equidem fieri illud non poterit quin ad iracundiam, ad quam natura sunt propensiores, concitentur. Itaq; meo judicio præstabit abstinere quàm ea loqui, quæ nobis damnum afferre poßint. IVLI. Opus igitur erit multa industria. GILI. Opus sanè, sed quis tanta præditus esse queat industria, ut id sine ulla inimicitia efficere poßit, aut saltem sine ulla malevolentiæ suspicione. a nulla harum quas hic conspicio mihi metuo, quæ cum omni crimine vacent, criminis etiam suspicione vacuas non dubito, vereor tamen ne sexus gratia aliarum partes tueantur, atq; efficiant, ut de sententia mea turpiter decedam. MARGARITHA. Sis bono animo, nihil te interpellabimus, aut propterea infensiores erimus, (ut pro aliis etiam respondeam) tantum cave, ne quid mentiare, aut honestis fœminis ullam aspergas labem. GILI. Cavebo quantum potero & à nostris Lucensibus auspicabor, quæ certe sunt & pudicitia insignes & optimæ matresfamiliâs, adde apparandorum con-

viviorũ doctißimæ. Senenses sunt egregiæ forma, moribus laudatißimis, graviores etiam & sapientiores quàm ausim desiderare. Petrarchæ, Dantis, ac hujus farinæ scriptoribus, maxime delectantur. Peregrinos omnibus demerentur officiis. Florentinæ delicatißimæ sunt, suendi peritißimæ, & cæteris indulgentius liberos, ministros, familiam deniq; omnem tractant. Pistorienses lingua disertißima, neq; gravantur admodum copiam sui facere, etiam nulla lucri spe ostentata. Maritis sæpe memorabiles imposturas faciunt, Perusinæ forma præstantißima, moribus non contemnendis, ab amoribus non omnino abhorrentes, omne illarum studium, tergendis ac bene manibus eluendis, piscatione etiã maxime delectantur. Novocomenses, maritos planè beatos faciunt, dũ capiti vervecina diademata imponunt. Romanæ gravitatem & religionem multam præ se ferunt, iis tamen studiis delectantur quibus plæraq; omnes. Cajetanæ amoribus usq; adeo deditæ, ut sæpe maritos deserant, per se quidem pulchræ, nativam tamen pulchritudi-

tudinē quantum possunt adjuvant. Capuanæ superbæ, arrogantes, nec forma, nec moribus, nec opibus insignes. Cosentinæ obstinatæ, ac fallaces, pereleganti judicio et ingenio, visæ sunt mihi. Neapolitanæ ancillarum gregem secum ducunt, rem domesticam diligentius curant, & amatores suos religiosissimè colunt. Beneventanæ forma sunt rusticana. Brundisinæ facie liberali, sed inertissimæ. Quo sint Picenæ in externos animo, non facile judices, siquidem nimium diligenter asservantur. Bononienses corpore succulento, colore subaquilo, lachrimarum, ac suspiriorum, (nescio an iniquo meo fato acciderit) avidiores certè, quàm ego fuissem unquam suspicatus. Ferrarienses amatores suos spoliant, mutilant, lacerant, Mutinenses facili, benignaq; natura. Ravennates non sinunt omnino amatores suos desperare, undiq; semper spem aliquam injiciunt, sunt plenæ humanitatis & colore mustelino. Cesennates paulo rapaces. Pisaurinæ & Vrbinates (quanquam videantur agrestem naturam præ se ferre,) nullæ tamen

benignius, aut prolixius, peregrinos excipiunt. Parmenses & Placentinæ sunt planè simili ingenio, id est, ut ego interpretor, avaro, duro & difficili. Arridebunt Papienses, si crumenam habeas pecuniis refertam, alioqui castitatem præclaram fingent. Mediolanenses, si oris figura, cæteris non præstant, laterum tamen firmitate, corporis habitudine, ac ingenii felicitate nulli cedunt. Paucissimas comperies quarum pudicitiã montibus aureis expugnes. Sunt Mediolanenses acupictores clarissimæ. Oeconomiam optime exercent, jucunda est illarum consuetudo, sunt perurbanæ & facetæ, sunt in eos propensæ qui aut doctrinæ, aut bellicis laudibus excellunt, Pertaces sunt Pedemontanæ, superstitiosæ Laudenses, luxui addictiores Cremonenses. Externorum non minus amantes quàm suorũ Vercellenses. Ego, quanquàm nunc hanc, nunc illam Italiæ partem persequor, nullas tamen prætermittam. Etsi, video hic, nonnullos commoveri, vestra profecto est culpa, qui ad hoc nolentem & invitum pertraxistis.

Equi-

Equidem, ſi quod, hac re, mihi contigerit infortunium, tecum expoſtulabo humaniſsima Camilla, quæ me ad hoc ſemel cohortata es. CAMIL. *Mecum certe non eſt quod expoſtules. Siquidem me autore non eſt commiſſum tantum facinus. Facinus me hercules videor poſſe optimo jure appellare, cum in fœminas tam acerbus fueris.* GILI. *Videor mihi multo juſtior fuiſſe quàm illæ mereantur.* CAMIL. *Bona verba quæſo, debentur quidem fœminis multo plura quàm tu poſsis animo complecti.* GIL. *Scilicet?* CAMI. *Quid ſi oſtendero fœminas eſſe viris, omnibus ornamentis inſtructiores, deberiq; plura earum modeſtiæ, virtuti, judicio, ac ſtudio, quàm tu poſsis cogitatione conſequi, atque ita oſtendam, ut tu omnino idem mecum confiteare, (niſi pudoris prorſus oblitus fueris.)* GILI. *Rem certe inauditam oſtendes.* TV. *Iſtuc ego mirabiliter cuperem intelligere.* CAMIL. *Intelligetis, modo tantum ocii ſit, rationes quidem non defuturas confido, ſed es ne tu quippiam amplius dicturus?* GILI.

Nihil ſanè, quare oſtende quod te oſtenſuram jactaſti. Si quid a me prætermiſſum fuerit, Guidiccionus operam ſuam haud gravate præſtabit, an nõ ita facturus Guidiccione? GVIDI. *(Modo imperes) ſed melius certe fuerit ut tu reliquam ſermonis partẽ abſolvas, ſcio adhuc multa narranda ſupereſſe, ubi abſolveris, mox Camilla conſequetur.* GILI. *Ego igitur perſequar, & in verba conferam quàm paucißima, ſed vereor ne Camilla aufugiat cum præſtandum fuerit quod recepit. Si aufugerit, dependendum tibi erit quod pro ea ſpopondiſti, ego nullum alium quàm te ſponſorem appellabo. Audin tu Guidiccione?* GVI. *Audio ſanè, ne dubita, præſtabit cumulatius opinione tua, novi ego illius ingenii vires, atque optime perpendi, perge quod inſtitueras.* GILI. *Pergo, nolim ego certe magna mercede hanc ſermonis partem interruptam fuiſſe, nihil enim de iis adhuc narratum video, de quibus maxime oportuit, nempe de Genuenſibus ac Venetis. Sunt itaq; Genuenſes ſalaces, loquaces, plenæ confidentia, cæterum*

egre-

egregia forma, amantium suorum studiis admodum obsequentes, eos crebris munusculis donant, raro expilant, non facile recludi patiuntur, amant enim hac atque illac circumcursandi libertatem, suos lubentius quã alienos complectuntur, circumferunt libenter rosas ac beneolentes flores, humanißime salutant quoscunq; habuerint obvios. Sunt Venetæ ingenio mirum in modũ vario, cupiunt flavos capillos, & cutis candorem multo sibi comparant artificio, sunt quidem forma bona, sed gestus, & mores, plane meretricios habent, sunt tibiis brevioribus, illic tu multas offendes, quæ lucri gratia se prostent, multas item quæ solum amoris quadam abundantia libenter assentantur, nimio luxu diffluunt, voluptatibus deditißimæ, oratione sunt placidißima ac lenociniis plena, si se amore capi sinant, (quod sæpißime fit) nullũ omnino discrimen faciunt, pulcher an deformis, splendido, an obscuro loco natus sit. Tarvisinæ iisdem ferè morib. quib. Venetæ sunt, minore tamen corporis elegantia et cultu. Sunt mirum in modũ Zelotypæ (si quem amare cœperint.) Amant pruden-

prudentißimè & constanter Vicentinæ, Cremenses & Bergomates fallunt ac ludificant sæpißime amatores. Veronenses sunt satis pudicæ, graveis, & gratiosæ. Facinus me hercle indignum esset, si Brixianas silentio prætercam, quæ omnium bellißime rem familiarem curant & tam egregie filant. Non minore pœna mulctandus essem, si Aretinarum oblivíscerer. Quæ omnium tenacißime amant, & sæpe cantilenis amatorum suorum laudes celebrant, optimas textrices cognovi Faventinas & Forolivienses: ardenter amant Eugubinæ, avaras cognovi Anconitanas, placidißimas Astenses. Terdonenses & Novarienses fœminæ sunt multa industria, neq; illarum amplexibus fruere, nisi virtutibus ornatus accesseris. Tædet me hercules tam prolixæ narrationis, & memoriæ sensus me deficit, scio me multa præteriisse, sed tamen prudens ac sciens præterii. commonefecerant pueri jam apparatam esse cœnam. rursus video alios accurrentes solicitoq; animo nunciantes cœnam corrumpi, nisi actutum accumbamus. Itaque

que abeamus, quidquid reliqui fuerit vel cras vel a cœna absolvetur, me vos posthac attentum auditorem habebitis, hactenus loquacem pertulistis narratorem. Sicq; in tecta discessimus, tanta elati lætitia, ut ferè desipere videremur.

FORCIANARVM QVÆSTIONVM

LIBER SECVNDVS.

NOn possem verbis consequi, quanta nos jucunditate illa festiva narratio affecerit, non minorem tamen inter cœnandum voluptatem percepimus. Erant enim epulæ nostræ non solùm exquisitißimæ, sed suavißimis etiam & doctis sermonibus conditæ. Cœna itaq; apposita est dubia, aderant qui nos musicis concentibus oblectarent, nulla ministrorũ diligentia desiderabatur. Non arbitror nunc operæ pretium esse, conte-

rere tempus in describenda esculentorum omnium, aut potulentorum varietate. Quid enim singula commemorem? quando nihil volatilium, aut quadrupedum desiderari poterat. Varia placentarum & farciminum genera, tot saporum differentiæ, quot potuit unquã Apitius ille artis culinariæ princeps excogitare, aut fortasse multo plures, aderant vina & ruffa & alba & media, Cesennatica, Fastignana, Pompejana, & e paradiso usq; convecta. Quid quæris? ejusmodi erat mensa nostra, ut non vehementer desideraremus Pavũ e Samo, aut Phrygiam Attagenam, Gruo melicas, hœdum ex ambracia, Pelanum Chalcedoniam, præ iis, quæ nobis apposita erant, contemnebamus Murenam Tartesiam, Asellum Pesinuntium, ostreas Tarentinas, pectunculum Chium, Helopem Rhodium, Scaros Cilices, Nuces Tasias, Palmas Ægyptias & glandes Ibericas. A cœna verò ne putes illa nobis defuisse, quæ apponi ad principum mensas consueverunt, abunde enim et ad

satie-

ſatietatem usque miniſtrabantur. Viſum eſt plerisq; omnibus nimium adveſperaviſſe, & noctem jam ruere: placuit itaq; reliquum narrationis in ſequentem diem differre, interea cœpimus ſub topiario quodam benè longo lentè inambulare, & ruſticanas cantilenas occinere, ô ſi adfuiſſes Franciſce, eam certe voluptatem cœpiſſes quæ facile depuliſſet podagram tuam, tuam appello, quæ te tam indignis modis tractat, hic doloris, aut mœſtitiæ ne levia quidem impreſſa erant veſtigia. Cave putes Alcinæ delicias noſtris aliquando majores fuiſſe, noſtræ medius fidius ſuperant quascunq; poßis cogitatione compræhendere. Equidem cum noſtras mulieres canentes obſervarem, putabam angelorum choros huc e cœlis deſcendiſſe, eiusmodi Syrenas fuiſſe credo, niſi quòd illæ perniciem afferebant, hæ verò miram incolumitatem. Poſteaquàm ſatis cantatum eſt, cubitum disceßimus, ſed non priusquàm fatigatam vocem recenti vino refocillavimus (quanq̃ id tui Medici vetent.)

Nos verò Forciani cœli clementia freti immortalitatem consecutos existimabamus, itaq; Medicorum omnium canones spernebantur, & quisq; ad suum vivebat arbitrium, non autem ex medicorum præscripto, neque pœnituit unquã. Vetant enim illi multa salutaria, quo illorum certè opera perpetuo indigeamus. constitueramus inter nos, ut qui prior excitaretur, alios ipse excitaret, priores verò expergefacti Gilius & Vincentius nostra bene mane adierunt cubicula, nosq; postquam lodices detraxerunt, multa rosacea aqua resperserunt, nos item alios. Mulieres verò nostræ, quæ in secretiore parte domus cubarant, jam multo ante nos de lecto surrexerant, multisq; precibus, ut est illis in more positum, Deum optimum maximum obtunderant, omnesq; suaveolentes flores collegerant, iisq; coronatæ ad nos advolarunt. Inde ad rem divinam profecti sumus, atque illic tam diu moras traximus, ut jam prandii hora præteriisset. Pransi, jocis nos multis oblectavimus,

ut se

ut se fregit calor, rectà ad eum locum venimus, quo ventitare soliti eramus, sed multo plures nunc, quàm antea. Percrebuerat enim rumor, nobiles aliquot ac doctos viros, recuperandæ sanitatis gratia, ad illa vestra tam salutaria balnea venisse, qua fama exciti Bonvisii illuc statim certos nuncios miserunt, qui illos invitarent, aut potius ad perfruendas delicias nostras secum perducerent. Sed audi quæso casum planè divinum, non poterant qui fuerant invitati nobis amiciores esse, ita, ut cum à te & à Vincentio meo discessero, quos pluris faciam non habeam, (neq; injuria) sunt enim (ut unico verbo complectar) cum deorum immortalium laude conjungendi. Video te capere illorum nomina, & ego certe honoris caussa, non minus illa scribere cupio. Erant igitur Pomponius, Triultius, Laurentius Toscanus Antistes pietate insignis, Gaspar Sormanna Ioan. Baptista filio comitatus, Stephan. Doletus, Hieronymus Seripandus, Nicolaus Brittonius, Gaudentius merula,

Pa. Sadoletus, Tho. Sertinius, Albicius Benius, Monicus Camporgnanus, Ranierius Dejus. Non facile dixerim, quanto horum adventu gaudio exiluerimus omnes, sederunt ii quoque nobiscum, sermones nostros qualescunq; essent audituri. Tum Gilius, puto me vobis majore qua potui diligentia satisfecisse. Restat modo, ut Camilla promissa perficiat, nisi fortasse Cinama illud velit (quæ sua est ingenii promtitudo) præstare. Heus Cinama? Vin tu nobis advorsari, atque sceleris arguere, propterea quod nonnullarum fœminarum parum honorifica facta sit mentio? CINAMA. *Istuc nolo me hercules, per me vobis liceat, & laudare et quidquid in animo fuerit, vituperare. Vereor tamen, ne reliquas iniquiores ac acerbiores habituri sitis, scio quid Sbarra & Bonvisia in aurem mihi insusurrarint.* GILI. *Rogo te Cinama, si quid periculi imminere putes commonefacias, ego totus tremo, horreoq; cuperem tamen præstaret Camilla quod pollicita est.* CAM. *Quid sum polli-*

pollicita? Ædepol, nisi tu in memoriam redegeris, ego nunquam meminero. GILIVS. Ego verò ac lubens, jactasti paulò antè, ostensuram te fœminas viris esse præstantiores: Fac nunc promissa appareant. CAMIL. Dixi fortasse ostensuram me pari excellentia esse, superiores profectò non memini, (quanq̃ nullorum freta præsidio, neutrum mihi difficile futurum existimem, res est profecto nullius negotii, ita ut vel dormiens id quisq; poßit efficere) attingam itaq; primùm veterum fœminarum exempla, atq; à Troadibus incipiam, quæ sibi ac viris suis præclaro facinore tam belle consuluerunt, dum una conspiratione facta navigia cuncta incendunt, deinde nova ac inusitata benevolentiæ significatione virorum suorum fervescentem iracundiam placant. A Troadibus ad Phocenses descendam, quæ mori pro patriæ suæ dignitate, meras delicias reputarunt, tacebo ne Chias? non faciam certe si sana sim, harum enim consiliis viri, audaciã docti, sibi suisq; salutem pepe-

rerunt, non involvam silentio Argivas, quæ assumtis armis subita corona civitatis mœnia complevere, Cleomenemq; regem, à quo duriter obsidebantur, ad extremum turpiter fugere compulerunt. Non præteribo Persides, quas silentium & audacia immortales reddiderunt, relinquo brevitatis studio Tyrrhenas, sed Cæltas præterire non possum, quæ in media arma progressæ, multis precibus, lachrymisq; suorum animos adeo flexêre, ut omissa discordia in pacem ac benevolentiam ad proprias domos omnes discederent, ex quo nata apud eos consuetudo posteris etiam temporibus mansit, ut quoties sit eis de bello, aut pace consultandum, mulieres quoq; ejusmodi consultationib. adhibeantur. Tacebo Lycias ac Mylesias. At non possum Saguntinarum oblivisci, quæ gladiis intra sinus occultatis, unà cum viris in hostes impetum fecerunt. Possum commemorare infinitas mulieres omnium consensu perillustres, ut Valeriam, Cloëliam, Miccam, Megistonam, Pieriam, Polycre-

tam,

tam, Arretaphilam, Cammam, Stratonicam, Chiomaram, Timocliam, Erixonam, & Zenocritam. hem vides Gili quantam mulierum turbam adduco? GILI. *Video ſanè, atq; in memoriam redegiſti tam prolixa enumeratione illas ſignatorum tribus, quarum in divinis literis mentio fit, nolim certe mihi tantam turbam dari paſcendam, non ſi mihi res ſit amplior quàm olim fuerit Craſſo. Sed unde quæſo illam adduxti?* CAMIL. *Ex univerſo terræ orbe.* GILI. *Ita pol credo, non poteram mihi à riſu temperare, cum te tanto ardore viderem undiq; fœminas accerſere. Quis negat non poſſe multas illuſtres fœminas reperiri, ego certe non ita frontem perfricui, ut illud negem, illud Camilla demonſtrandum fuerat, viris excellentia & dignitate pares eſſe, aut ſuperiores, id ſi oſtenderis, fatebor me abs te victum, atque, ut eſt in vetere Proverbio, herbam tibi porrigam. Factu nimirum facile mulierum chiliadas recenſere, poteras tu quidem multo plures, ſi voluiſſes,*

quas etiam majora facinora nobilitarunt. Miror itaque abs te prætermissam esse Minervam, Rheam, Iunonem, Isidem Ægyptiorum Deam, Marpesiam, Hypermestram, Niobem, Orythiam, Portiam, Lucretiam, Sulpitiam. Sed multo magis Camillam Volscorum reginam, quam & nomine & virili pectore tam belle exprimis. CAMIL. *Agnosco vafrum ingenium, nunc me ungis, nunc pungis, ut est in nostro proverbio, adeon tibi videor idonea, in quam tam aperte illudas? Quî poteram ego aliter facere, ostensura quod pollicita sum, nisi indicarem tot celebres fœminas posse reperiri, quot viros? Illud itaq; primum oportuit, deinde quod tu tantopere audire cupis aggrediar. Hoc erat animi mei consilium, primum indicare non esse fœminas sanctitate & religione viris inferiores, deinde ostendere nullam fuisse unquam tam excellentem professionem, in qua fœminæ non excelluerint, vos si multos habetis sanctitate insignes, habēt et fœminæ. Ante alias venit in mentem*

tem

tem Galla, quæ Gotthorum temporibus Romæ claruit, deinde Lucia, quæ in urbe Mendula pro Christi Iesu gloria supplicio affecta est, postremò simul occurrunt Paula, Monica, Blesilla, Ruffina, viduæ mulieres, ac mirabili sanctitate insignes. Possum etiam si velim multas virgunculas adducere, quæ non solum religiosissime vixerint, sed intrepide cruciatus multos pro Christi gloria promovenda pertulerint, ut Austriberã, Anatoliã, Anastasiam, Antoniam, Agnetem, quæ nondum decimumtertium annum excesserat, quando pro amplificando Christi Iesu Evangelio crudelissi mortem pertulit, præter has Barbaram, Bibianam, Columbam, Darfosam, Crispinam, Demetriam, Dulam, Euphemiam, Euphrasiam, Eugeniam, Eulaliam, Elediam, Emerentianã, Fuscam, Iustam, Iuliam, Leucadiam, Lucinam, Macram & Margaritham, quæ apud Antiochiã sub Olybrio urbis præfecto necata est. adde Marcianam, Musam, Ottiliam, Romulã, Sabinã, Sylviam, Thabytã, Trasyllam,

syllam, Theodoram, Teclam, Victoriam, a reliquis abstineo, ne nimium molesta sim. Quid ais Gili? obmutuisti opinor? GILI. Minimè, neq; cur obmutescam ullam video caussam, possem & ego nullo quidem negocio tot viros, aut fortasse multo plures numerare, facere tamen non possum, quin hanc tuam admirer expromtam memoriam. CAMI. Nulla sum memoria, vel perexigua. Equidem, nisi Margaritha & Catharina opem mihi tulissent, nunquàm potuissem decem verba proloqui. CATH. Nullam ego tuli opem, voluntas quidem erat propensissima, sed tu eo predita es ingenio ac memoriæ tenacitate, ut non valde meo auxilio egeres, fecisti per te, nullius adminiculis freta, quod fortasse ipsi non potuissent. CAMIL. Feci equidem, quantum potui obnixe manibus, pedibus, ardebam enim desiderio ostendendi, quod pollicita fueram, neq; defervescet ardor ille, quoad plene non ostendero, quo autem facilius possim, omnes recensebo professiones, omneisq; præclaras

dotes.

dotes. Placet verò in primis Musicas recensere, cujus studio tantopere delectaris, ut nemo sit tecum in tota Hetruria conferendus. Nobis certe non desunt Musicæ, quæ possint veluti Timotheus ille vester Alexandros ad furorem impellere, impulsos rursus comprimere, sunt quæ Tibiis, ægrotantibus medicinam faciant. Erant, non diu est, Mediolani, quæ facile possent musicis concentibus mœstitia & stupore auditores replere, deinde mœstitiam illam in lætitiam vertere, postremo animos ita permovere, ut ad petulantiores corporis motus, atq; insanas gesticulationes devenirent. Sed cur nominatim eas non appello? Anna Anglica tam excellens fuit, ut redderet saxo stupidiores qui audirent. Clarissimæ fuerunt illæ duæ filiæ amatoris Cathalani, nostra verò ætate in urbe Mediolano quot fœminas, bone Deus? reperies, non solum natalium splendore, sed musices peritia illustres, è multis nonnullas numerabo, in primis Blancam Mainam, Anastasiam Cottam, Iuliam

Varisiam, Faustinam Maggiolinam, Candidam Archintam, atque illius sororem Margaritham, Lauram Foppam, addo etiam Angelam Beccariam, ac Margaritham Cacheranam. Advorte animũ Gili, intelligis jam puto, non esse, cur fœminæ vobis in hac parte cedant? Nulla sunt præclara dona, de quibus Deus opt. max. non æque benignus in fœminas fuerit ac in viros. Vates habuimus infinitas, nempe Annam Phanuelis filiam, cujus sanctitas archanis literis contestatur, Abigail, Delboram, Hester, Iudith, Mosis sororem, Micol, Oldam Helchiæ maximi Hebræorum pontificis matrem, quæ Hierosolymæ prædixit excidium, Rachelem, Rebeccam, Thamar, Sarram, Cassandram, Laviniam, Labyssam Nicaulam, Tanaquil, Phœmonoë, Terbam, Columbam Mediolanensem ex divæ Martæ vestalibus. Accersam nunc Poëtas, ne tu nos hic deficere existimes, prodeat in primis Cleobolina, Cornificia, Corinna, Thebana à qua pindarum vestrũ sæpius victum, memoriæ

prodi-

proditum est, Corinna Thespia, Corinna junior Thebana, Claudia, Ruffina, Elephantis, Erinna, Lesbia, quæ omnium virorum consensu, Homerum superavit Elpis Boëtii uxor, Moëro, proba Romana. Polla Lucani uxor, quæ sæpe carmina a Marito cœpta dum Pharsaliam scriberet perfecit. Violantilla stellæ Patavini uxor, Sapho Lesbia, Anagora Milesia, Congilla Colophonia, Eunica Salaminia, prodeat etiam altera Sapho Mitilinea, Sempronia, Sulpitia Caleni uxor & Theophila. Quid obstat quin commemorem quæ nostræ sunt ætatis? quas optimo jure potes conferre cũ Dante, Petrarca, SannaZario, Bembo, parum abfuit quin etiam dixerim, cum Iulio Camillo, A. Alamano & cultiss. Guidiccione nostro. Ignosce amabo Guidiccione, si tibi nimiũ temeraria ac temulenta videor, nostri tuendi sexus ardor effecit fortasse, ut pudoris fines prætergressa sim, atq; linguam (ut par fuerat) non attemperarim. GVI. *Nihil est profecto cur tu veniam petas, quid enim*

pecca-

peccaſti, aut commeruiſti? ego quoque iſtuc ipſum quod tu ſentio, factusq́ʒ ſum oratione tua in hac mea ſententia pertinacior. perge rogo, ne poſthac habeat Gilius quod tecum expoſtulet, parum certe abeſt, quin tibi victoriam gratuler. CAMIL. *Non poteram me hercules aliud expectare à viro humaniſſimo, & qui omni lepôre ac gratia affluat, nihil certe facis aut novum, aut ab illa tua antiqua manſuetudine alienum, tuo igitur favore freta, ſequar, puto te ſatis intelligere (vel me tacente) quæ ſint illæ quæ noſtros Ethruſcos Poëtas conturbarunt. Tu enim ſolitus es plus cæteris illas commendare, ac pleno ore dilaudare. Quando naturæ abſoluta opera ſtupebas? nónne te ſemper Veronicæ Gambaræ & Victoriæ Columnæ felix ingenium ſtupidiorem reddebat? id tu quidem multis carminibus perſæpe conteſtabare. Sunt etiam præter has aliæ, notas tibi ſuſpicor Gili ſorores illas Senenſes. Nunc Philoſophos in medium producam. Erit huius claſſis anteſignana Areta, Ariſtippi*

ſtippi Cirenei filia. Sequetur Aretaphila, quæ Mitridatis tempore claruit. Mammea ab origine edocta, Themiſte, Teleſilida, Cloëlia, Mantuani principis filia, Laura BrenZona Veronenſis, Laura Brixiana, Margaritha Feruſina, Theodora GonZaga. At ſi Philoſophum ita definias, qui divitias ſpernat, voluptates conculcet, & divinæ ſapientiæ amore ardeat, atq; præter divinam illam mentem prorſus nihil aliud curet, ac perveſtiget, adducam Euſtochium Seripandam, Theodoram Galeottam, Iſabellam Salerni principis uxorem, reliquas ne nimium prolixa ſim omitto. Accedo nunc ad eas quæ et agendis cauſſis & oratoria arte claruerunt. Ampliſſimus quidem erat expatiandi campus, ſtatui tamen perpaucas nominare, ut ſi quid Gilius objicere velit anguſtia temporis excluſus non prætermittat. Has tantum ſelegi, Ameſiam civem Romanam, Aſpaſiam a qua ſe multa didiciſſe ingenue fatetur Socrates, Mutias ſorores, Amalaſiuntam, Attalarici matrē,

Leontium quæ adversus Theophrastum & scripsit & confutavit, Hortensiam, Q. Hortensii filiam, Theano Pythagoræ uxorem. Theocleam Pythagoræ sororem, à qua didicisse complura non solum testatus est, sed etiam vehementer gloriatus, Corneliam Graccorum matrem, Caiam Affraniam, Læliam, Eudochiam, Eunomiam, Cassandram, Fidelem Venetam, Angelam Nugarolam, Baptistam Vrbinatem, Constantiam Sphortiam, Damisellam Triultiam, Coronam Perusinam, Fauniam, Gilbertam, Corneliam Veronensem, Helisabettam malatestam, adde Isottam. Vin tu nunc Medicas commemorem? possum certe multas, nempe, Angitiam Circes sororem, Brelam, Higeam Esculapii filiam, Olympiam Thebanam, Trottulam, Salernitanam, Antoniam Curtiam Mediolanensem. Post medicas, vin tu rerum inventrices? Hem prodit Arachne, quæ Linum & Retia invenit, Citta Lucensis quæ Auripellem, sive aurum in pellem reperit, Ceres Sicula, à qua ferunt adin-

adinventum frumentũ, cum ante glande veſceremur, eadem molere, ac panem conficere excogitavit. Gorgophone Perſei filia, quæ, ut ſcribit Pauſanias, mortuo priore marito nupſit Oebalo, antea ſecunda matrimonia incognita erant, Hecates Perſis filia à qua inventum fuit Aconitum, Hypermeſtra prima apud Argos ſacerdotio functa, Iſis Ægyptii Regina Cimbalum invenit, Melpomene et Terpſichore cantus et choreas. Nicoſtrata latinas literas, Pamphile verò Coa Bombicinam, Panteſilea ſecurim, Poppea Neronis uxor Poppeanum medicamentum ad faciem erugandam. Sapho plectrum, Semiramis longam navim, Stephano teſte, Tritonia quadrigas. Si cupias pictrices eximias, adducam Hirenem, Martiam, Tamirim Myconis filiam, Camillam Palavicinam, Luciã Venetã. Si velis bello præſtantes, non deerit Athalia, Alexandra Hebræa, Beronicæ, Iahel, Mania, Pantaſilea, Semiramis, Tomyris, Cleopatra, Zenobia, Hippolyte, Valaſca, Hipſicratea, Athalan-

ta, Amalasiunta, Delbora, Ioanna Gallicana mulier, Maria Puteolana. Verum si forte velis pudicitia illustres, & quæ maritis suis nihil antiquius, aut potius habuerint, non defuturas scito, sunt enim plurimæ, in mentem mihi primum venit Alcestis Admeti Thessaliæ regis uxor, Artemisia, Bilia, Britona, Claudia Claudii Apollinaris filia, Coclia, Evadne, Euridice, Egeria, Iulia, Lucretia, Laodomia, Penelope, Portia, Procris, Sulpitia Lentuli uxor, Theosina, Tutia, Turia, Virginia. Vtinam plures maritos comperire liceat, quæ tantam fidem tantamq; suis uxoribus benevolentiam præstarent, quantam et nunc & olim maritis uxores præstiterunt. Sed vereor, ne dum uni placere studeo, multis interim displiceam, ac molesta sim, dic obsecro Gili, satin commonstratum putas quod heri commonstraturam recepi? GILI. *Satis opinor, verum si tu excellentiores probaveris, mox tibi cessero, illud tu certe (si quid est in me judicii) nondum probasti.* CAMI. *Heus*

Sbarra? an non ita evenit quemadmodum ego tibi futurum prædixi? SBAR. *Ita prorsus, agnosco hominis callidum ingenium, ubi istud etiam, quod nunc abs te petit, probaveris, illico alios injiciet scrupulos, qui te male habebunt plusq; facesset negotii quàm antea.* GIL. *Vnde quæso tam iniquam opinionem de me concepisti? profecto, si in fœminas tam acerbus essem quàm vos mihi suspicari videmini, multa Camillæ objecissem quæ tamen prudens præterii.* CAMIL. *Fecisses tu mihi quidem rem gratißimam.* GILI. *Per me quidem (ut ingenue fatear) non stetit. Ædepol decreveram diluere illa omnia quæ tu adduxeras, effecit tamen Sormanna importuna quadam efflagitatione ut mihi temperarim. Potuissem ego facile, si voluissem, unicuiq; illustri fœminæ decem nepharias & scelestas opponere, multaq; mala a fœminis orta prolixa narratione commemorare.* CAMIL. *Mihi quidem nihil optatius potuisset contingere, ea enim præstantiora videri solent, quæ op-*

pugnata fuerint. Ostendi nunc, fœminas omni virtutis genere ita ornatas, ut viris facile pares videri possint, restat modo, ut excellentiores probem, quod certe paucis expediam, tum quod verear ne vos longæ orationis pertædeat, tum quod res sit admodum facilis. Non negabis Gili, pro tuo pudore, quin argumenta à nominis vi ducta plurimum momenti habeant, ad ea quæ velis probanda & constabilienda, id enim præter cæteros, Cyprianus in libro de monte Sina aperte indicat, dum Adami Etymologiam diligenter excutit, quam postea Augustinus, a quo dissentire pudeat, in eam quã in Psalmos enarrationem conscripsit, fatetur transtulisse atque usum pro sua, hanc argumentandi formã nulli dialectici (quod sciam) unquam repudiarunt. Eva itaq; vitam significat, Adamus verò terram, deducas nunc tu conclusionem sive mavis cum Cicerone connexionem appellare. Ego ad alia festino, non omnino ridiculum futurum puto, si a loco pariter argumentemur. Eva in illo

lo amœnißimo deliciarum loco facta, Adamus verò in agro, solitum est autem, si quid pretiosius facturus sis, illud in secretiore ac nitidiore parte domus efficere. Mulier igitur excellentior quæ in tã illustri & excelso loco facta sit. Tradunt præterea divinæ literæ fœminã universo orbi salutẽ peperisse. Adde illud, Abrahamo imperatum fuisse, ut Saræ uxoris imperata faceret. Hanc fœminei sexus excellentiam ne putes juris prudentiæ consultis incognitam fuisse, a quibus cautum est, ne ulla fœmina quantúmvis ære alieno oppressa poßit in carcerem detrudi, undiq; prodit ac sese exerit mulierum dignitas & excellentia, ita ut tantum cœlestium contemplandorum gratia factæ videri poßint. Si enim dent operam liberis, cœlum suspiciunt, si cadant cœlum suspectant. Cœlum deniq; semper cogitant, si velim nunc Gili quæ poßim omnia afferre, vereor ne postea satis sit ocii ad ea narranda quorum gratia huc venimus. Hoc enim (ut scis) non erat instituti nostri, sed nescio

quo pacto in hunc sermonem venimus. Quo tu autem cœperis consilio nonnullarum fœminarum existimationem labefactare, ego quidem ariolari non possum. Verum si tu Vincentio auscultasses, cujus acre & perpolitum judicium tanti facere videris, profecto linguæ frena injecisses, & eo quidem minore negotio quod non ex animo illud faceres, sed tantum ut nos provocares, hem irritasti nunc, ut est in proverbio, crabrones, præstaret nimirum tacuisse mi Gili, sed tu te hoc intristi tibi omne exedendum erit. MARG. *Cur omissum est Camilla ostendere, nos etiam viris pulchritudine excellere?* CAMI. *Non arbitror quenquam esse qui neget.* MAR. *Ego sanè multos repperi.* CAMIL. *Hui, quàm stolidi erant, quàm à mente miserabiliter destituti & bonarum disciplinarum expertes. Equidem quotiescunque in id genus hominum incido, (incido autem sæpius quam velim) non possum effari quantis lachrymis illorum cœcitatem ac rerum omnium ignorationẽ deplorem.*

plorem. Ego ſane multos ſæpiſsime video barba tam promiſſa & denſa, ut lac lacti neq; ovum ovo tam ſimile ſit quàm ipſi urſis ac ſilveſtribus belluis. Nónne Mathematici omnes plus eſſe in noſtris corporibus proportionis adfirmant? præter id, nobis quidem caro & mollior & tenera magis, cutis candidior, venter rotundus, craſsiora fœmora, barba genas non infuſcat, dentes ſunt & minutiores & candidiores, pectus, humeri, tota denique corporis noſtri conſtitutio præſtantior eſt. Plures etiam e fœmineo ſexu ſcriptorum monumentis pulchræ celebrantur. Quid enim tam arduum ac difficile quod noſtra pulcritudo non queat efficere? Potuit Anaxaretis forma Iphim ad laqueum perducere, Argia verò, Cyrenæ, Caſtianira, Quid non expugnarũt? Ecameda et Marianna, qua forma fuerunt? nónne ea quæ ad Deos proxime accedit? An non potuit Europa Iovem amore accendere? Hippo, Hiera, quæ Helenam formoſiſsimam longo intervallo ſuperabat. Orythia, Polyxe-

na. relinquo infinitas, vos tantum duo, aut ad summum tria paria mihi numerabitis. Quare Gili, cave ne sies in tanto errore, ut non credas nos hac in parte quemadmodum & in aliis excellere. Ego certe ad amovendam falsam hanc tuam opinionem satis esse putaram duas adducere Gallicanas mulieres, nempe Mariam Petravivam, ac Sibillam sævam, quibus, præter excellentem oris figuram, ea est animi præstantia, ut nihil antiquius habeant pudicitia & pudore, ac sedato cupidine, nihilq; tam diligenter student quàm Dei opt. max. metum, parentum amorem, ac cognatorum concordiam. Hæ duæ inquã, Gili, ejusmodi sunt, ut naturæ miracula dici merito queant, utinam iniquo hoc nostro seculo plures hujusmodi comperire liceret, profecto non essemus tam abjectæ & contemtæ, neq; vos viri tam miseris modis despicatas haberetis. sed quid dixi? amens, utinam haberemus potius tot viros, nam optimarum fœminarum multo amplior est numerus, quanquam

ex universa Gallia duas tantum selegerim, non me tamen latet multo plures esse, memini enim, cũ Lugduni essem, in ea vicinia in qua habitabam, cognovisse Claudiam Peronam, mulierem ingenio amabili & iis dotibus ornatam, quas in viris (etiam celeberrimis) plerunq; desideramus, sed nunc demum intelligo quid sit in planitiem provocare equitem. erat animus unam tantum aut duas ad summum ex iis quas Lugduni novissem, attingere, sed me tamen Claudiæ virtus compulit, ut ejus quoq; mentionem facerem, undiq; inclamari exaudio, ne sui nominis obliviscar, sed non faciam, aggrederer enim laborẽ, cui Hercules par esse non queat. Intelligis Gili quàm multo difficilius sit huiusce rei exitum quàm principiũ invenire. GILI. Intelligo, atq; me graviter multifariamq; peccasse agnosco, neq; commeritam pœnam deprecor. Confiteor me victum sancteq; juro, nunquam eo dementiæ amplius prolapsurum, ut aliquando cogitem viros fœminis ex ulla

parte præstare. CINA. Posteaquàm istæc controversia, quæ nobis aliud cogitantibus exorta est, ad finem (ut vides) Vincenti perducta est: curemus quæso sedulo, ut priusquam nos dies deficiat, cœptus absolvatur sermo. Nos quidem tam longe expatiati sumus, ut ferè instituti sermonis obliti simus. Illud avebamus intelligere, unde nobis tam varii mores existerent atque naturæ, ea caussa tot hominum descripta fuerant ingenia, res omnino ardua videtur, sed quid potest esse tam arduum, quod Guidiccioni nostri excellens ingenium non pervestiget? te Guidiccione expectamus, nemo te facilius quidquid est oneris sustinebit, omnes ad te deferri volunt, teq; philosophantem audire cupidißime expectant. GVIDI. Facis mihi insignem injuriam Ciname, qui sic meam imperitiam cum infantia conjunctam traducere cupias. Hoccine est amici hominis? Hoccine ingenui animi officium? CINA. Agnosco Romanæ Aulæ mores, cuperes precibus obtundi.

Equi-

Equidem, nisi tu nobis hac in re morem gesseris. Nos te eum Guidiccionem esse negabimus, quem omnes prædicant, nempe facili natura, qui nulli advorsetur, qui omniū studiis obsequatur & omnium sapientiſsime vitam instituerit? Delibera nunc tecum, quid tu malis, vel obstinate in sententia permanere, vel nobis tui cupientiſsimis morem gerere? GVIDIC. Nihil certe tam mihi unquam in optatis fuit, quàm ut intelligeretis, quantopere cupiam omni benevolentiæ genere vobis me quàm gratiſsimum probare, ita ut malim existimationis, quæ mea vita carior est, jacturam facere quàm vostræ libidini advorsari, quàm verò sapienter, viderint alii. Illud certe fuit mihi semper in omni vita propositum, ut nihil recusarem, aut difficile existimarem, quod vobis gratissimum esse intelligerem. Quare, quidquid hic ingenii mei imbecillitas præstare poterit, efficiam cum libenter, tum etiam diligenter. Plurimæ sunt (ut scitis) Philosophorum sectæ, quæ de moribus

bus tradiderunt, ut Academica, Cirenaica, Eliaca, Megarica, Eroitica, Stoica, Peripatetica, ad has ego, cum aliâs in in hac cogitatione essem contuli me, diuq; apud illas versatus, didici non posse hanc disciplinam, quæ ad mores spectat, ullis compræhendi syllogismis. Sed vario usu, longaq; observatione, ac multa consuetudine, hominum præterea mores sæpissime mutari. Sunt enim quædam nationes (ut inquit Iulius Firmicus) ita a cœlo formatæ, ut propria sint morum unitate perspicuæ, affert ille nonnulla exempla, ut stolidos Gallos, jactabundos Hispanos, voluptarios Asiaticos, acutos esse Siculos, sed exemplorum jam vos fortasse tenet satietas, habent itaq; singulæ nationes a superis agnata sibi morum discrimina per quæ facile queant dignosci. Si quis nunc alias rationes afferre conetur, ludet ille quidem (meo judicio) operam omnem, non enim fieri potest, ut quis tam acuta ingenii acie sit, aut tam consummata eruditione, qui scire queat cur ligures mendaces, aut cur sint

insti-

*Insubres tam exterorum amantes. Profecto, si omnium ingenia & linguæ id effari cupiant, certè non poterunt. Istæc igitur ingeniorum multiplicitas, ab illa rerum omnium parente natura provenit, cujus arcana nemo investigare aut perquirere possit. Equidem rei difficultas deterruit me sæpe. Verum cum super hac re sermonem semel atque iterum cum doctissimis viris habuissem, neq; aliud unquam extorquere potuissem, quàm ita a natura constitutum esse, cœpi ego quoque in hac sententia conquiescere, in ea futurus, quoad meliorem invenissem. Vos si quid melius ea de re animo conceptum habetis, promitte quæso, ut nunc etiam, quemadmodum semper soleo, a vobis doctior & excultior discedam. Equidem hac in re illud contigisse arbitror, quod etiam *in promulganda Hebræorum lege contigit, traditum est enim à Iustino, Philosopho pariter & martyre, Deum optimũ maximum imperasse, ut lex ipsa promulgaretur, legis autem interpretatio*

minime, ita etiam concessum puto, ut varia esse hominum ingenia dignosceremus, huiusce autem rei caussam latere voluisse, quemadmodum & alia multa, quo nos semper discipulos habeat. Multis sanè verbis in hanc sententiam philosophatus est politissimus ille tuus vel noster potius Guidiccionus. Subvererìq; interdum videbatur, ne nobis parum satisfecisset, propterea quod nullas secretiores caussas attulisset. Sed cum omnes, qui in illo præclaro & ornatissimo consessu docti numerabantur, non posse una voce unoq; consensu alias afferri rationes exclamassent, factus ipse multo hilarior, alios etiam, perinde ac si de sua in nos lætitia transfudisset, exhilaravit, sicq; dies ille consumtus est nobis. Nolim existimes Francisce reliquos dies minore voluptate consumtos fuisse, nos modo vicinas villas adibamus, modo Trigonali pila exercebamur, bona pars aviculis insidias struebat, aut lepores venabatur. Quisq; suo arbitratu vivebat, atque ea studia, quæ maxime expetebat, sectabatur,

tur, iisq́; præmium constitutum erat, qui novum aliquod honestæ voluptatis genus excogitassent. Qua autem majore voluptate Vincentius tuus detineretur, nosti tu optime, qui illo multos annos familiarißimè usus es, ego verò non poteram transversum unguem discedere à Ludovico Bernardo Bernardino, Chionio, ac Paulino Fiorentinio, quorum suavißimi mores omnibus sunt & grati & admirabiles. Consumpsimus Forcii (nisi me fallit memoriæ sensus) duodetriginta dies, tanta jucunditate, ut nihil in terris beatius facile crederemus. Equidem, nisi solidum istud gaudium oborta contaminasset ægritudo, superassem omnium fortunas, & vicos omnium ac prata contempsissem. obrepsit autem, dum e balneis redirem, sævißima febris, quæ me ita acriter torsit, ut supremum diem advenisse interdum pertimescerẽ, contestari possunt ægram hanc meam valetudinem labantes literulæ. facere tamen non possum, quin earum rerum jucunda recordatione totus gestiã. Dum

hæc ad te scribebam, torquebar inclementius, alioqui fuissem fortasse paulo diligentior, scio me multa somniculose persequutum, tanta tamen his describendis perfundebar voluptate, ut insanus facile videri possem, optabamq; mihi, veluti Terentianus ille Chærea, dari aliquem qui percunctando obtunderet: quid gestirem? quidve lætus essem? Perscripsimus autem istæc, ut tu quoq; gaudium hoc nostrum gauderes, atq; me tui amantiss. qui nullum locum prætermitto tui exhilarandi intelligeres, utinam istuc ipsum faceret crudelis illa tua podagra, per quam fructu jucundissima tuæ consuetudinis tamdiu caruimus, sed spero propediem futurum, ut hanc jacturam aliquando resarciamus. Posteaquàm me febris destituit, Lucam venimus, eo consilio, ut omnem illam regionem diligenter perlustraremus, atq; Lucenses deliciæ ex intervallo regustarentur, quod certe nobis tam jucundum fuit, quàm quod maxime. Iam enim per totam urbem fama pervaserat, Forci-

um

um ante aliquot dies adventasse viros, & doctrina celebres, & splendido apud suos loco natos, quorum insperato adventu non solū vehementer lætati sunt, sed omnem etiam navarunt operam, quo honorificentißime (quemadmodum eorum dignitas promerebatur) exciperentur. Nullus itaq; fuit, qui nos lauta cœna, aut oppiparo prandio non exceperit, si qui erant, quibus res angusta domi esset, non desinebant illi tamen amicæ voluntatis non vulgaria præbere argumenta. O admirandam & inauditam benignitatem, ô nunquam satis laudatam mansuetudinem, cur quemadmodum Deus opt. maximus finxit Lucenses meos tam prolixa, beneficaq; natura, cur non item mihi earum laudes scripturienti, eam præbuit facundiam, quam olim Q. Hortensio, aut cur non eos mihi lepores ac scribendi Veneres dedit, quibus Sadoletos, ac præstantem Iulium Camillum ornavit, dispeream, si ullum unq̃ eloquentiæ genus à me alia de caussa expetitum est, quàm ut universo orbi

Lucen-

Lucensia ornamenta innotescerent, meamq́ erga illos observantiam quóvis modo declararem. Quanquam eo ingenio plæriq; omnes sint, ut nihil tam detestentur, ac totis voluminibus conscindant, quàm ambitiosos homines & populares auras captantes, neque ignoro quàm inique meum hoc tenue præconium laturi sitis, nam si vos hujusmodi rebus delectaremini, non dubito minime defuturos, qui vos, vestraq́ præclara gesta plena manu, plenoq́ ore dilaudarent & ad cœlum usq; ferrent. Satis enim futurũ puto Gerardum Dicæum, is enim cultißima & politißima oratione, humilia queq; ac humi reptantia in cœlum ferre potest, quanto igitur minore negocio vos poterit? quos jure omnium à annalibus dignos existimo. Dum convivia agitaremus, ad aures nostras (nescio me hercules) quo nuncio pervenit, non procul esse locum quendam, ubi vir habitaret eximia pietate, cui nomẽ Augustinus Fivizanus, hunc inuisimus, multaq; cum eo, de gratuita in nos Dei

opt. max. beneficentia familiariter collocuti ſumus, is ita animos noſtros accendit, atq; inflammavit, ut toti divinarum rerum deſiderio ardere videremur, neq; quisquam inter nos fuit, qui non in animo ſuo ſtatueret, totum ſe Evangelicis ſtudiis tradere, cœpimus ob id diligentius disquirere, ſicubi viros nanciſci poſſemus ſacrarum literarum lectione exercitatos, neq; vanus omnino hic labor fuit. Virum enim Gambaſii comperimus, qui præter ſecretiorum literarum cognitionem, mira eſſet continentia & prudentia, huic (ſi bene memini) nomen erat Franciſcus ejusdem loci, vir mediocri ſtatura, atro colore, naſo ferè aquilo, admirabili taciturnitate. Diſſeruit ille tamen multa nobiscum de mortis contemtu, de calcandis ſæculi opibus, de non lædendo proximo, de fide, de ſpe, poſtremo de Chriſti Ieſu crudeli ſupplicio, atq; hic tam ardens fuit, ut è ſilice lachrimas excutere potuiſſet, peccata noſtra in eius ſanguine, qui ut nos redimeret, cruci ſuffigi voluit, elui, ac penitus

tus aboleri multis sanè verbis docuit, valdeq́; nos cohortatus, ut ita viveremus, quemadmodū si crederemus quemcunq; diem nobis supremum illuxisse, in divinarum literarum lectione frequentes essemus, neq; unquam Evangelicos codices de manibus poneremus, sed nocturna simul ac diurna manu versaremus, hinc vosipsos cognoscere addiscetis, hinc Dei opt. max. præclara in vos beneficia intelligetis, non enim aliunde æternum ac cœlestem patrem cognoscere poteritis, etenim per suum ipsius verbū intelligi voluit. Sic enim ipsemet de se ipso loquens, inquit, scrutamini scripturas, illic enim optimam & certam de me cognitionem habebitis. Monuit postremò tanquam filios ac familiares amicos ut perditorum hominum amicitias effugeremus, futurum, ut tales essemus, quales essent ii quibus cum familiaritate & consuetudine conjuncti fuerimus, hoc etiā divinæ contestantur literæ: Cum sancto sanctus fies, cum iniquo iniquus eris. Quod sanè si faceremus, non tot ne-

pharia scelera admitteremus, utinam nobis essent qui hujusmodi vocibus crebro aures personarẽt, sed proh dii immortales, habemus qui nos ad nequitiam instigent ac solicitent, & à vitæ rectitudine quantum possunt abducant. Posteaquam tam diu cum illo fuimus, quantũ satis esse putaremus, in urbem reversi sumus, atq; consilium captare cœpimus, quanam potißimum via in Insubriam rediremus, illic enim ob nonnulla gravißima negotia dies aliquot consumturi eramus. Venimus itaq; primum Florentiam, quanquàm illac iter facientes, non nihil a recto cursu deflecteremus, sed ita nonnullis morẽ gestum oportuit, qui inclitam et florentem illam urbem videre percuperent, ego verò, Francisce, etsi aliâs viderim, ita tamen illius urbis mirifico conspectu delectatus sum, ac si nunquam vidissem, offendimus illic multos doctrina & morum suavitate celeberrimos. In primis Philippum Strozzam, & Franciscum Nasum, inde durißs. alpes trajecimus, atq; ad eam urbem venimus

mus, quæ cum studiis florentissima sit, cæteris etiam dotib. ita excellit, ut paucas habeat a quibus superetur. Cottidie publicos professores adibamus, qui certe sunt clarissimi nominis, audivimus Romulum Amasæum mitiores literas profitentem, at quem virum? Quicunque verò Philosophiæ studiis delectabantur, ad Ludovicum Buccaferream accedebant. Is tanta me hercules facilitate sensus eliciebat ac audientibus tradebat, ut nemo magis. Comitabantur nos officii caussa Philenius Lunardus, ac Michael Ventura, qui cum nobis gratum faciendi cupidissimi essent, ad juvenem privatim Græce profitentem deduxerunt, hunc Bassianum Landũ vocitant, tanta bonarum artium cognitione instructum, ut omnes admirentur, ac stupeant. Sumserat eo tempore Homeri Poëma enarrandum, atq; ita enarrabat, ut præ magna admiratione manus in cœlum tolleremus, nos in animo nostro decreveramus ibi diutius agere. Sed cum Cruceius crebris literis à Senatu ad re-

ditum ſolicitaretur, ne tantum ſervis comitatus rediret, conſilium illud amplius commorandi abjecimus, atq; unà Mediolanum venimus. itum eſt nobis obviam à multis cum fortuna, tum doctrina claris. Ego verò, cum primum in urbem veni, atq; domi meæ omnia (ut vellem) eſſe cognovi, cœpi literis, quantum memoria ſuppeteret, Forciana geſta conſignare. Vix libellum complicaram, cum ſubito nunciatum eſt, Neapolim excurrendum eſſe quo cum perveniſſem, repperi deſcriptos fuiſſe hoſce noſtros ſermones à ſtudioſo juvene, cumq; intellexiſſem urgeri a multis ut excudendos daret, data eſt a me diligenter opera, ne in lucem venirent, hos cum non poſſem neq; pecunia, neq; precario elicere, curavi ut furtim ſurriperentur. Eos etiam cum iis quos mea manu ſcripſi mitto. Sed tamen vereor (ne ut eſt in proverbio) e patella elapſi, in prunas decidamus, ſiquidem Neapoli non eſt ea impreſſorum copia, quam intelligo Lugduni eſſe. Vide modo tu, poſtquàm tam

iniquo fers animo tuum nomen scriptis commendari, ne quispiam ex impressione referat, ego tua caussa diligenter omni mea opera, cura, gratia & diligentia ne usquam imprimantur curabo, neque istuc tantum a me curabitur, sed quidquid imperaveris, quando plus voluptatis ex tuo imperio sentio, quàm si mihi imperanti totus terræ orbis obtemperet, ad hoc me excellens tua virtus adegit, huc me tuorum morum suavitas pertraxit. Hortatum tamen te velim, ut si te quis ad huius nostri libelli impressionem compulerit, vel meum nomen demas, vel fictitium aliquod ascribas, hoc enim quantum mea intersit non ignoras, tum quod omnes meos sensus probe teneas, tum quod ea es solertia præditus, ut ea etiam intelligas quæ maxime tecta esse volumus. Vale & meo nomine domesticos omnes saluta.

ANTIOCHVS LOVINTVS FRANCISCO TVRCHIO, S. P. D.

AVdio Francisce te mihi graviter succensere atque infortuniũ minari, propterea quod Forcianas quęstiones tuo nomini dedicatas, excudendas dederim. Equidem eo sum ingenio, ut non facile cuiusquam minis commovear, quanquam atrocissima interminentur. Pluris enim semper ab eo tempore, quo cœpi humaniores Musas colere, studiosorũ commoditates feci, quàm cujusquam benevolentiam, legeram enim hunc libellum semel atque iterum, fuiq; partim stili dulcedine , partim ipsa narrationis varietate ita captus, ut omnino mecum deliberarim, studiosis omnibus tam utilem & elegantem libellũ, vel capitis periculo com-

municare, neq; me clam erat parum æquo animo te laturum, ſed quid mea? quando, (ut antea dixi) ne pili quidem facio cujusq̄ minas (modo fructus aliquis conſtet) hac verò lectione uberrimũ quisque percipiet. Sic graphice Italicarum nationum ingenia deſcribit, & tam acutè diſputat. nolim inquies Franciſce pro mea animi modeſtia laudes, quibus in eo libello ornor, ullius ſcriptis commendari. At hic, pudorem planè ſubruſticum agnoſco. Interrogatus neſcio quis, certe ſapiens & alta reſpectans, quam vocem libentiſsime audiret, eam inquit quæ me laudaret. Quis unquam tam rudi ingenio fuit, ut laudes aſpernaretur, præſertim ſi a laudato viro proficiſcantur. Cupit laudari Nævianus Hector, ſed non niſi a laudatiſsimo viro, non eſt igitur cur tam ægre feras, laudavit te juvenis & optimarum ar-
tium

tium perquam ſtudioſus & vitæ innocentia maxime florens, atq; quantum ego, de aliis etiam fide dignis intelligo, non injuria laudavit. Fecerant tamen minaces illę literæ, ut omnino aliter jam ſuſpicari inciperem. Veneratq́; interdum in mentem ſubvereri, ne tu hypocriſi quadam iſtud faceres, cum te laudatorib. tuis tam infenſum oſtendis. Equidem nihil erat quod tantam bilem concitare poſſet (ſi vera ſunt quæ audio) audio autem neminem eſſe, qui te pluris faciat fœmineum ſexum, qui plus amet, qui effuſius laudet. Grata igitur tibi eſſe debuerat mea voluntas, neque iſtud meũ factum tantopere deteſtari debes, ſiquidem nusquam plenius laudantur quàm in hoc libello. Deinde jam deſcriptus erat plus quàm in trecenta exemplaria, ſed ſtulte facio, qui me de tam honeſto facinore purgare

coner. ne Deus quidem optimus & maximus, qui nutu poteſt olympum concutere & omnia diruere, efficere poterit, ut facta ſint infecta, clamites nunc, objurges, vocifereris, ac cœlum terræ miſceas quantum velis, ego ſanè pulcherrimi facti conſcientia fretus, neq; te, neq; alium quenquã metuo. Fieri tamen non poteſt quin vehementer doleam inde mihi ſimultates naſci, unde ſperaſſem potius laudem, ac mirificam gratiarũ actionem.

Vale & me tui ſtudioſiſsimum ama.

NORIBERGAE,

In officina typographica Catharinæ Gerlachiæ.

